


A 203.



Rudolph Gotthold Rathii

doct. philos. et correctoris gymnasii Lutherani
Halensis

de

grammaticis et rhetorics

elocutionis Romanae
praeceptis

L i b r i t r e s.

Pars prior

grammatica praecepta continens.

Halae et Lipsiae

apud Joannem Godofredum Ruffium.

1798.

Rudolphus Gocspicq Episcopi

opus didicere et colligere ex antiquis libris et scriptis
Hannoverae

49

Scriptorium et Historia

electio et collatio Romanae

publice editae



8251

A D L E C T O R E M.

Cum ante biennium iuventutem academicam in sermo-
nis Romani palaestra exercere instituerem, nec librum,
non solum rhetorica sed etiam grammatica Latinae lin-
guae praecepta aequabiliter continentem, invenirem;
schedulas meas, vel potius schedia, quibus utrumque
continebatur, perpoliendi et tum demum in vulgus
edendi, consilium cepi. Longinquus autem morbus
omnia impediebat, et post morbum, quamquam non
ita magna scribendi lubidine tenebar, bibliopolae tamen
promissa erant servanda. Hinc tradidi ei piorem libri
partem typis exscribendam, quae de rebus grammaticis
praecepit, quaeque, ut vere loquar, duobus ante annis
in primis me ad scribendum impellebat. Cum Cicero-
rone enim elocutionem emendatam et Latinam solui et
quasi fundamentum oratoris putabamus. Vnde grammati-
cates fundamenta, quae, qui de elocutione exposuerunt,
aut peculiari grammaticorum labori reliquerent, aut rhe-
toricis miscuerunt praeceptis, aut cum Quinctiliano ge-
neratim edocuerunt, aut, cum potiora tantum vellent
gravioraque docere, ita tradiderunt, ut mihi certe pa-
rum satisficerint, haec igitur grammatices praecepta
breviter quidem, sed satis plene hoc libello exposita le-
ges. Alteram vero partem, rhetorica continentem

prae-

praecepta, nisi prior plane displicerit, nisi quid adverbi iterum eveniat, mox secuturam esse speramus

Jam vero ut iudicare possis, utrum, quae super rebus grammaticis hic scripsimus, in iis legendis ponderandisque aliquam ponere operam, opera pretium sit, breviter rerum argumenta indicabimus.

In prooemio, (§. 1 — 9.) duas modo esse ostendi omnis orationis virtutes principes, *perspicuitatem et ornatum*. Etenim si et *emendatam* orationem perspicuae subiicias, multarum, arbitror, rerum grammaticarum meliorem poteris reddere rationem. Ceterum in elocutione tractanda *formam* modo orationis spectandam censeo, unde ne in altera quidem parte uberratem recentiorum scriptorum aemulabor, qui hinc atque illinc conquirunt, quae parum attinere videntur.

De *orthographia*, (§. 10 — 53.) et primum quidem de *pronunciatione* ea in medium protuli, quae ad litterarum potissimum pertinent permutationem, cuius enim rei gnarus multarum et grammaticarum et criticarum rerum caussas penitus perspicit. De *originatione*, qui alter orthographiae locus est, tantum modo dixi, quantum ad intelligendum sufficere videbatur, legem hanc non ubique ducem esse posse atque indagatricem. Nam equidem eorum subscribo sententiae, qui ad *usum i. e.* ad veterum monumentorum auctoritatem omnem scripturam, quamquam non sine discrimine, exigendam esse arbitrantur.

Etymologia, (§. 54 — 69.) vel in *formarum doctrina*, i. e. *analogia* versatur, vel in *verborum explicazione*. Cum formae latinitatis adolescentis ab illis virilis Musae plane sint diversae; necessario faciendum esse vide-

videbatur, ut hanc etiam attingerem mutationem. Multum enim scire interest, quid usitatum sit, quid inusitatum atque obsoletum, ne nobis ab editoribus auctorum antiquata, quibus aetas florentior abhorruit, obtrudi patiamur. — In altera autem etymologiae parte, quae λεξην est, ratione in, qua vocum significatio erui et possit et debeat, demonstratum ivi. Verba vero, quorum interpretatio magna laborat difficultate, partim *homonyma* sunt, partim *synonyma*. Doctrinam synonymorum ita adumbrare conatus sum, ut ab eorum consuetudine, qui in hoc genere verborum explicando occupati, ipsum statim opus adgrediuntur, plane receptionem, triplicemque formam distinguerem.

Reliqua ad *Syntaxin* fere pertinent, in qua, cum tirones maxime labi soleant, non graviora modo, sed vulgaria etiam tradidi. Haec syntaxis longe princeps libelli pars est, quam, si vera sint, quae dixi, aliquantulum mihi laudis conciliaturam putō; si falsa, non parum vituperationis contracturam. Ad doctrinam *convenientias* quod attinet, illa adiectivi cum duobus pluribusve substantivis, cum ne prisci quidem hac in re sibi consentent, apprime mihi incerta atque instabilis videtur. Aliquo divisionis principio eruto, centum nonaginta et duas huius concordiae varietates obstupescens inveni. Similiterque ostendi, quo in convenientia verbi cum duobus pluribusve substantivis occurgere possint. Utrobique operam meam haud lusisse credo, res enim grammatica certe indagatione haud indigna.

Multo vero plura in *rigimine*, quod, vere si volumus iudicare, nihil nisi quaedam vocum inter se relatio est, in qua omnis constructio vertitur, novare au-

sus

sus sum; non ut novarem, sed ut pro viribus artem
grammaticam in melius mirarem. Vnde ubique gene-
rales studiose conquisi vi regulas ut iuuenturem nos multi-
plicando regularum numero, sed minuendo ad littera-
rum Romanarum studia allicerem. Eamque ipsam ab
causam, ubiunque fieri potuit, ibi constructionis ra-
tionem reddidi, plerumque aliam quidem, ac solem nem
illam, quae in misericordia queritur ellipsis; an vero
meliorem, tuum erit iudicare. De natura casuum,
item de nativa modorum indole, de coniunctionibus,
a quibus omnem modorum rectionem abjudico, item de
praepositionibus, quas regere casus plane nego, multa,
mihi quidem, a vulgari grammaticorum opinione di-
scrpantia protulisse videor. Jam licet in fine praefac-
tionis Facciolati verba mea facere: Non ego is sum,
qui hominum iudicia impedit possim, aut velim. To-
tum, quidquid est, in medio ponio, amicis, inimicis,
civibus, exteris in illud ius esto; qui voler, carpito;
invitus ne legito; officii gratia ne laudato. Nihil enim
mihi magis miserum videri solet, quam eorum contencio,
qui cum suos libellos vulgarint, concursant, solli-
citant, rogant, minantur; gratia, auctoritate, pecunia,
artibus omnibus laudatores quaerunt. Impotens haec
famae libido reipubl. litterariae libertatem, summum
eius bonum ac paene unicum subruere conatur: verum
bene haber, quod neque omnibus facum facit, nec diu.
Ego mihi beatus videbor, si aequum monitorem inven-
ni; et, utecumque res cedat, neminem in iudicium
vocabo.

PROOEMIUM.

§. 1.

Oratio animi sensuum expressio est, eiusque partes *verba* seu *vocabula* dicuntur.

§. 2.

Hinc quales animi sensus, talis et oratio esse debet. Unde sit, ut in rudi gente rudis sit ac nuda, in cultiori cultior.

Ut ceteris in rebus, necessitatis inventa antiquiora sunt, quam voluptatis; ita et in hac re accidit, ut multis saeculis ante oratio nuda ac rudis ad solos animorum sensus exprimendos fuerit reperta, quam ratio numerorum, causa delectationis aurium excogitata. Cic. in Orat. 185.

§. 3.

Cultioris vero orationis finis est, quaeque vel cogitentur vel sentiantur, ita exprimendi, ut non intelligantur modo, sed cum voluptate quoque intelligentur. Alterum emendata *perspicua* oratione obtinetur, ornata alterum.

A.

Cum

Cum omnis oratio tres habeat virtutes, ut emendata, ut dilucida, ut ornata sit, (quia dicere apte, quod est praecepitum, plerique ornatui subjiciunt,) totidem vitia, quae sunt supradictis contraria, emendata loquendi regula, quam grammatices prior pars est, examinet. Quinet. Instit.

Orat. I. 5.

Aptam itaque dictionem ornatui subjectam vides. Atque eadem ratio est cum aliarum virtutum vel perspicuitati vel ornatui subiiciendarum, tum emendatae dictionis, quae, quum perspicuatati tantummodo serviat, eiusdem pars et habenda est et appellanda. Id quod, si, quid ultimum sumimumque habeat oratio, curatus pensitaris, facile concedes. Emendata est enim dicendum, ut loquaris perspicue, et perspicue, ut intelligaris. Attamen emendatam hancce dictionem, non tam ob Quintilliani auctoritatem, quam ob rei pondus gravitatemque, inter eas virtutes, quas oratio primarias habet, numeratam voluimus.

§. 4.

In omni autem oratione tractanda vel materiae vel formae ratio habetur. Illa verba continet sensusque iis subjectos, haec modum spectat, quo, quidquid materia suppeditet, aut formandum est, aut coniungendum, aut eligendum, aut collocandum, aut exornandum.

Est in utroque (in oratione et poemate) et materia et tractatio: materia in verbis, tractatio in collocatione verborum. Cic. Orat. 59. extr.

§. 5.

Quare, si qui de orationis forma praecipere vult, (in qua tractanda animi sensus eorundemque expressiones iamiam inventa ponuntur,) nihil aliud faciet, nisi animi sensuum recte, dilucidè ornateque exprimendorum rationem ostendet. (§. 3. 4.)

§. 6.

Iam vero ars quaedam peculiaris ac per se constans cogitari potest, quae, in forma orationis occupata, quid rectum sit, quid perspicuum, quid ornatum ostendat, quaeque non solum praecipiat de elocutione, seu quo inodo

do bene dicatur, sed etiam de *stylo*, seu quomodo bene scribatur. Atque haec doctrina erit de emenda, perspicua et ornata orationis expressione, quam et doctrinam facundiae dicere licet.

Longe aliud *eloquentia* est, aliud *elocutio*. Illa enim omnes omnino oratoris virtutes complectitur, inventionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, pronunciationem seu actionem: *elocutio* vero tantum pars est officii oratorii, quae, ex definitione auctoris ad Hennium I. 1. c. 2. idoneorum verborum ad sententiarum inventionem accommodatio est. cf. G. J. Vossii orator. Inst. I. 4. p. 3. Multi vero et hodie in elocutione tradenda multa conquisiverunt, quae nihil attinebant. Alii enim a rhetorica, alii a gustu pulchri, quam aestheticam dicunt, alii aliunde mutuati sunt. Nos autem reliquimus haec, atque ea modo, quae videbantur ad formam seu tractationem orationis pertinere, sumsimus.

Denique *stylus*, (quae vox etiam per antiquitus scripta reperitur,) apud Graecos columna est, deinde de rebus parvis, columna similitudinem qualemque habentibus dici coepit. Hinc denotat instrumentum aeneum alias graphium, (*γραφεῖον*) dictum, cuius pars inferior acuta, superior vero retusa erat seu plana ad delineandas litteras. Veteres constat hoc instrumento litteras in saxis, lignis, aere, in pugillaribus praecipue libellis aut codicillis pinxit. Horat. serm. I. 10. 72. *saepe stylum verias*, i. e. deleas scripta et corrigas. Quint. I. 1. *Litterarum formas tabellis insculpere*, ut per illos velut sulcos ducatur *stylus*. (Qui stylo scribunt in codicillis, hinc quasi sulcos instar aratorum ducere videntur, hinc exarare pro scribere. Cic. Fam. 9. 26. In codicillis exarare, i. e. raptim scribere, ut Manutius interpretatur.) Deinde *stylus* scribendi i. e. litteras formandi facultas est, quantum ea manu peragitur. Quint. I. 1. *Stylus tardior cogitationem moratur*, cet. Post scribendi exercitatio. Cic. orat. I. 33. *Stylus optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister*. Denique scribendi modus. Cic. de cl. orat. 45. *Huius orationes tantum argutiarum, — tantum urbanitatis habent, ut paene Attico stylo scriptae esse videantur*.

§. 7.

At duae iam reperiuntur artes, quae in orationis forma versantur, *Grammatica* et illud *Rhetoricae* caput de *elocutione*. Illa docet, quid rectum sit, haec quid perspicuum, quidque ornatum. Utraeque igitur artes suam quaeque materiam a doctrina illa (§. 6.) mutuantur, haec ab illis non item.

§. 8.

Itaque haec facundiae doctrina de oratione emenda-
ta, de perspicua, de ornata exponet. (§. 6.) In hisce ve-
ro virtutibus tradendis, quum in omni oratione esse de-
beant, nulla plane materiae ratio habebitur; fin autem
materia haec spectatur, (quam vero et tum *inventam*
poni oportet) aut ea est eiusmodi, ut vel maximum, vel
minorem, vel minimum ornatum requirat; hinc oratio
grandis, *mediocris*, *tenuis*; aut ita comparata, ut vel ma-
ximam, vel minorem, vel minimam perspicuitatem po-
stulet, hinc oratio *copiosa*, *intermedia*, *brevis*.

Haec direndi scribendique genera *diversitatem inter-*
nam aliquam i. e. materiam spectant; fin *externa* respici-
tur, quasi vestis, qua indui queat materies, aliae atque
aliae *formae externae* exoriuntur. Hinc forma *epistolica*,
dialogica, *oratoria*.

§. 9.

Haec capita sunt rerum, in doctrina facundiae oc-
currentium. Sed quidquid differimus, id in quamcun-
que linguam convenit, hinc in *Romanam* quoque, de qua
iam praecepturi sumus.

In fine operis accedet *Appendix*, in quo de variis
Romanae facundiae facultatem adsequendae subsidiis, de
lectione scriptorum classicorum, de eorumque imitatione
atque de allis exercitationibus breviter tradetur.

LIBER



L I B E R I.

D E P E R S P I C U I T A T E.

C A P U T I.

D E O R A T I O N E E M E N D A T A S E U R E C T A .

§. 10.

Si verum est, ut est, orationem emendatam perspicuitati tantummodo servire, consequens est, ut grammatices regulae suo hic iure locum habeant.

Grammaticae vero partes quatuor sunt: Orthographia, Etymologia, Syntaxis, Prosodia: quarum, prosodia primisque artis grammaticae rudimentis omissis, potiora iam atque graviora ordine solemni tradentur.

S E C T I O I.

D E O R T H O G R A P H I A .

§. 11.

Tria in primis sunt, quibus omnis folet orthographia, hinc et ista linguae Latinae iudicari, *pronunciatio*, *origatio*, *usus*.

Prae-

Praecipui, qui de orthographia L. L. praeceperunt, sunt *Claudius Dausquis*; *Aldus Manutius*; *Cellarius* et *Schurzfleischius*. Levioris notae sunt *Victorinus Vetus*, *Longus*; *Cassiodorus*; *Beda*; *Hieron. Cardanus*; *Valla*, *Lipsius*. Sunt et alii, qui, quamquam non ex instituto, attamen pro re nata nonnullas orthographiae rationes explicuerunt, ut *Noratus*, *Freinshemius*, *Boeclerus*, *Badius*, *Vossius*, alii.

§. 12.

Veteram vero pronunciandi rationem, quis nescit, diu iam funditus fere interisse apud nos? Itaque lingua haec a quaque gente, non aliter effterri, ac vernacula sollet. Quod autem quamquam ita se habet, atq[ue]nam ex his, quae ex antiquitate superant, monumentis, alia atque alia huc pertinencia ab eruditis eruta reperiuntur. v. *Lipsi de recta pronunciatione L. L. diatogus*. Nos pauca modo hac de re in medium prolaturi primum de litteris vocalibus, deinde diphthongis, denique de litteris consonantibus differemus.

I. De pronunciatione.

§. 13.

Litterarum vero vocalium pronunciatio inde pendet, prout os vel laxius vel angustius aperitur, hinc earum permutatio. v. *Gerh. Joan. Vossii de litterarum permutatione tractatus*.

§. 14.

A littera convertitur in E, unde facio, feci; in I: amicus, iniamicus; in O: μαρμαρος, marmor; in U: falsus, insulfus.

§. 15.

E permittatur cum A: reor, ratus. Cum L. Quintet. 1. 4. Hinc vespero et vesperi, vulpes et vulpis, rates et ratis. Cum O: a tego sit toga, ita aduersus, vortex apud poet. Cum U: doceo, docui; legendum et legendum; remansit repetundarum.

§. 16.

De I littera cf. Quintet. 9. 4. et 1. 4. Convertuntur E et I, n[on] sed rusticum est, speciam dicere pro spica, veam pro

pro via, vellam pro villa., Varro R. R. I. 48. 2. et I. 2. 14. O et I. *olli subridens*. Virg. Aen. I. 258. ita et *ollis*, ratius *ollorum*; omnia haec antiquata; sed remansit *quicunq; pro quoq;* in primis V et I. antiquitus mi- grasse constat, hinc *decumus*, *lubens* cet. maxime in superlativis: *máximus, optimus, simillimus*, cet. I longum pro duplice ii antiqui usurparunt, sic *D E I C I T O* pro delicito, *S U L B I C I* cet. idque aetate Augustea. cf. Henr. Noris. Cenotaph. Pisan. p. 473. et Nolten. Lex. Antibarb. T. I. p. 76.

§. 17.

De O litterae mutatione v. Priscian. I. 553. maximam vicissitudinem habet cum V, a *culo fit oculo*, unde etiam pleraque nomina Graeca in ὁσ apud Latinos in US terminant, *nugos*, *Cyren* cet. cf. U littera.

§. 18.

U littera in locum ν ψιλος, ομιγης et ου diphthongi successit, ut μυσ, Πεπλιος et μετα. Priscian. I. 554. Permutantur U et E: *opus, operis*; *iuro, deiero*; U et I, idque maxime in incremento: *caput, capitis, corniger, arcitenens* cet. U et O, hinc *ebur, eboris* cet. Sed dixerunt etiam: *Hecuba, notrix, folmen, dederont, maxime digamma antecedente*: ut *volgus, volt, Davos*. Quintet. I. 7. „*Nostri praeceptores cervom servomque dixerunt.*”

§. 19.

Y littera Graeca est, in iis duntaxat vocibus usurpa- ta, quae e Graecia in civitatem receptae sunt. Sed ve- stitissimi ab ea abstinuerunt, dixeruntque vel cum I, ut *silva* (σύλη), *stilus* (συλος), vel cum U, ut *mus* (μυς), hinc *lacrima, lacryma, lacruma, (δακρυμα)* aliquando cum O, ut *nox* (νυξ). Quintet. I. 4. Cic. orat. §. 160.

§. 20.

Diphthongos constat plures habuisse antiquos, ut sunt: AE, AI, AU, EI, EU, OE, OI, OU. Posteri retinuerunt modo: AE, AU, EI, EU, OE. Quarum vero pronunciatio, qualis fuerit, adhuc sub iudicelis est.

§. 20.

§. 21.

AE diphthongum antiqui Graeca consuetudine per AI scriebabant, unde Virgil. *pictaï vestis*, et *aulai*. cf. Quinet. I. 7. 18. Velut E pronunciandam videri contra Lipsium ostendit Rutges. Var. Lect. 3. 5. Plura hac super re Nolten. Lexic. Antibar. P. orth. p. 11. seqq.

§. 22.

AU diphthongum antiqui ut O saepius pronuntiassent videntur, occurrit enim: *clostrum*, *plastrum*, *clodo*, *Clodius*, *Fostulus*. cf. Burm. ad Calpurn. Ecl. 2. 48. et Voss. de A. Gram. 165.

§. 23.

EI pro I longo in nummis et inscriptionibus, ut: *eidus*, *preimus* cet. in primis pro longo isto I accusativorum pluralium, quorum genitivus pluralis in I U M et ablat. singul. in I exit, ut: *omneis*, *forteis* cet. Plures tamen istum casum per I efferrunt, *omnis*, *fortis*. Sed et in aliis casibus EI pro I reperitur, ut: *Salentini*, potissimum in ablat. plurali, ut: de *Lucaneis*, in *loceis*, in *heis* cet. cf. Varr. de L. L. 6. 72. Quinct. I. 7. p. 88. seqq. Cortius ad Sall. Catil. 44. c. 1.

§. 24.

EU diphthongum male proferri scribit I. C. Sealigner de caus. L. L. p. 20. fortasse ut *oe* seu *e*, nam ab Οδυσσεύς *Ulysses* factum est. Caeterum EI et EV veteres raro usurparunt.

§. 25.

OE diphthongus magnam cum U habuisse videatur necessitudinem, legitur enim *moenitus* pro *munitus*, (hinc *moenia*), *poenio* pro *punio*, (hinc *poena*, sic quoque *moerus* et *murus*, *Poeni* et *Puni*.

§. 26.

Litterarum consonantium prima est B. de qua Quinct. I. 4. 44. et Cic. orat. 48. Vel ex his locis apparet, B et P litteras saepius mutatas fuisse. Hinc

a

a scribo fit *scripti*, a *labor*, *lapsus*, similiter B et V, hinc *sevum* et *sebum*. Lips. Var. Lect. 2. 28. sed transit et in alias cognatas: a *rubeo* fit *rufus*, a *iubeo* *iussus*. Convertitur in vocal. euphoniae caussa, idque in duobus his verbis: *aufero* p. *abfero*, et *aufugio* p. *abfugio*.

§. 27.

C litteram nihil ex eo habuisse sibilo, quem nunc habet ante E, et I, et potius ut π graec. pronunciam esse, primum ex Capel. 3. 58. apparet, deinde ex Quinet. 1. 7. et 11. post ex nominibus quae a Latinis per C, a Graecis per π expressa leguntur, ut *Kinegaw* et alia; denique ex eo, quod transit in G et Q, hinc quadringenti p. quadrincenti cet.

§. 28.

„D litterae cum T quaestam cognatio, quare minus mirum, si in vetustis operibus urbis nostrae et celebribus templis leguntur: *Alexanter*, et *Cassantra*. „ Quinet. 1. 4. et 1. 7. p. 86. edit. Burm. Sic ab ostendo fit ostentum cet. Permutatur cum B, hinc *duellum* et *bellum*, *duis* et *bis*; cum L, hinc *lacryma* a *δακρυξ*, *Ulysses* ab *Οδυστεύς*, *sella* a *sedere*; cum N. cf. Donat. ad *Tarent*. Phorm. 2. 2. 16. *dispennere* p. *dispendere* seu *dispendere*, unde *penna* forte a *pandendo*; cum R. pro *ad fere* abique in vetustissimis monumentis *qr*, ut *arvena* cet. mansit in *arceffo*, *arbiter*, et in *meridies* p. *medidies*; cum S, hinc *laus*, *laudis*, *clando*, *clausi* cet. Explet denique haec littera hiatum, ut *prodeesse*, *redigere*, *redire* cet. Cf. Quinct. 1. 7. et Cic. orat. 45.

§. 29.

De F litterae pronunciatione disputandi occasionem praebent Quintilianus et Priscianus, ille 1. 1. 4. hic 1. 1. p. 7. edit. Bas. Ex priori intelligitur inter F et ϕ Graec. deserimenes intercedere; ex posteriori, F apud antiquissimos fere eandem vim habuisse, ac *digamma Aeolicum*, quod nihil aliud est, quam Graecorum nonnullorum *adspiratio*. Jon effert, 'EKATON. Attic. HEKATON, Aeol. FEKATON. Hinc Varro L. L. 4. 19. et

et 23. „Hircus, quod Sabini fircus, et quad illic fedus, in Latio rure hedus, quod in urbe, ut in multis, A ad-dito, haedus. et Scaurus orth. 2230 F et H, utraque flatus est, quare, quem antiqui fariolum, nos hariolum.“ Hinc permuntantur quoque F et Vau, quam itaque ter-ram Strabo ἔνετινη, eam Latini Venetiam dicunt.

§. 30.

G littera antiquis ignota, in columna rostrata Duis-
tacistratus, cessit p. gesſit cet. cf. Plutarch. Quæſt. Rom.
54. Antiquitus itaque ubique C p. G. Vnde etiamnum
utraeque litteræ mutuas operas tradunt, a iungo fit
iuncus, a viginti, viceſimus, a nec et otium, negotium.
Permutatur cum N cognationis cauſa, ex ἀγγελος
fit angelus, ex ἀγνυγε, ancora. Vetustissimi aggelus,
Agchisēs, agceps cet. Mansit cognatus, ignotus, igna-
vus, ignarus. cf. Cic. in orat. 159. Nec gnōſco, gnō-
tus, gnāvus, gnātus, gnārus, codicūm auctoritate de-
ſituntur.

§. 31.

H et littera et aspiratio a Gellio 2. 3. dicitur, idem
indicat Diomed 2. 417. olim enim disputatum est, utrum
H littera sit, an mera aspiratio? De uſu illius, qui, ut
sit, mutatus est saepius. v. Cic. orat. 48. et Quint. 1.
5. et nota Burn. ad hunc locum. Ceterum permuntatur
cum F et V, hinc Hanula et Famula, (parva delubra)
Hesper, et Vesper, Heneti, et Veneti. Curt. 3. 1. et
ibi Pitisci nota.

§. 32.

I consona in antiquis inscriptionibus semper can-
dem figuram ac I vocalis habet. J caudata saeculo de-
mum superiore adolescente inventa Gesnero videtur.
Hinc respuant eam Norisius, Cellarius, alii, etiam in
minūscula scriptura. Cf. Nolten. Lex. Anlibarb. P. orth.
p. 76.

§. 33.

K pura puta Graecanica littera est. Priscianus L. 7.
et Quintilianus 1. 4. supervacuam esse penitus, meri-
to iudicant. Ex recentioribus cf. Voss. de Arte Gram. 1.
p. 72.

p. 72. Graecorum K vel in C vel in G mutatum invenimus. κυκνος scribitur *cygnus*; κυκλος, *cylclus*; νυβος, *cubus*, et κυβερνω, *guberno*.

§. 34.

L littera triplicem, ut Plinio videtur, sonum habet, cf. quoque Capell. 3. 58. et Priscian. I. Transit vero in R, ut *tabula*, *taberna*; in X, ut *velum*, *vexillum*; (ita Serv. ad Virgil Aen. 8.1. aliter Schellerus.) Permutantur L et D, ex μελενω fit meditor cet, cf. D littera,

§. 35.

De M littera Quintc. 12. 10. Pleraque nos illa quasi mugiente littera claudimus, qua nullum Graece verbum cadit. (Adhibetur enim in flectendis nominibus et verbis.) de triplici eius sono v. Priscian. I. 1. ubi pergit: *Transit in N, et maxime D vel T vel C vel Q sequentibus, ut tam, tandem; tantum, tantundem; idem, identidem; num, nuncubi, et ut Plinio placet, nunquis; cet. nunquam, anceps p. ambiceps.* Am enim praepositio, F vel C vel Q sequentibus in N mutat M, ut anfractus, ancisus, anquiro. Vocali vero sequente intercipit B, ut ambitus, ambefus, cet. Amat post se, ex eiusdem grammatici sententia, praecipue P, ut *amptus*, unde fit ut frequenter *emptus*, *demptus*, *sumptus* (uti et *sumpsi*, *dempsi*) et similia reperiuntur; sed legitur etiam *entus*, *sumtus* cet. utrique scripturae quamquam favent antiqua monumenta, attamen *sumptus*, *sumpsi* et reliqua pronunciationem populariem aliquam redolere videntur.

§. 36.

N littera vocalibus natura longis modo postposita legitur, ut in *Atlas*, *Gigans*, *thensaurus*, *nancius* (p. *nactus*) antique, sed cf. Gesneri thes. litter. N; modo omissa, cf. Taubm. ad Plaut. Amph. 2. 2. 9r. *Veteres praegnas, infas, dannas dixerunt, pro praeguans*, cet. N, gn sequente; evanescit, ut in *cognosco*, *ignarus* cet. Sic quoque in *coniux* p. *coniunx* a *coniunge*, et in *fragor* a *frango*,

§. 36.

§. 37.

P littera in graecis modo dictionibus H admittit, ut *Phaëton*, *philosophus* cet. In iisdem transferendis convertitur modo in B, a πυξός fit *buxus*; (idem in Latinis fit, a *Poplicola* fit *Publicola*.) modo in F, a πηγώ fit *figo*; modo Φ in p, a πορφύρα purpura, a Πονικέος, puniceus; modo in V, a πατερίνος fit *Vetricus*.

§. 38.

Q littera ut C vel K pronunciata est. De eius elatione antiqui passim. Quintet. 6. 3. p. 541. edit. Burm. cf. etiam Priscian. l. 1. p. 8. et 29. edit. Bas. Unde fit, ut a' qui fiat cuius, cui, (non raro in codd. quoius, quī,) a sequor, secutus. occurrit coquus et cocus, quum et cum, quur et cur, ita et pequdes, pequinia, mequm cet. Ut C, ita Q transit in S, torqueo, torfi, ut parco, parsi; in X, coquo, coxi, ut duco, duxi; abiicit N, linquo, liqui, ut vino, vici. Scribunt Graeci Κείτρος, Quintus; Κούρης, Quiris; Κυρίνος, Quirinus. Velius Longus (p. 2218.) putat, Q esse C et V, ideoque nonnulli QIS, QAE, QID scripserunt. cf. Voss. de arte Gram. l. 29. a quo scriptura haec probatur. plura Nolten. l. c. p. 145.

§. 39.

Pro R littera veteres multis in verbis S scripserunt, ut *muses*, *ruse* pro *mures*, *rure*. plura eiusmodi in XII. et Saliari carmine reperiuntur. sic quoque *arbos*, *honos*, cet. Quintet. 1. 4. Festus in R. Liv. 3. 4. et 8. princ. Cic. fam. 9. 21. Varro 6. 3. Sallust. Jug. 100. 4. et ibi Cort. Hinc ab *uro* fit *ussi*; a *gero*, *gesi*; *sosum*, *rufus* prosnas archiee, usitate in *prosa*, p. *prorsa*. Aspiratio H litterae huic postponitur, ut *rhetor* (ῥήτωρ) *rheda*, (ῥέδη). Ceterum auctoritate et consilio Appii Claudi R littera frequentiori usu recepta est.

§. 40.

S littera magnam cum aspiratione cognationem habet, factum enim est *sal* ab αλε; *sex* ab εξ; *silva* ab

ab ὑλᾳ, fulcus ab ὄλχος, sus ab ὑς cet. Veteres eam in fine dictionis, subsequente consonante elisisse constat. Gellius 12. 4. hoc adserit Ennii exemplum: *suavis homo, facundus, suo contentu' beatus.* Idem fit in dictionibus a Graecis petitis, ut propheta a προφητης cet. item in dictionibus, quibus adnexum est ne, ut *scim' p. scisne;* *satin'* pro *satisne;* occurrit *passi crinibus* et in Lucretio, Terentio et Cicerone *multimodis*, homo bonae *frugi*, et qui pro quis. Cic. orat. 48. et Quintet. 9. 4. Contra hanc litteram aliis geminatam fuisse docet Quintet. 1. 7. *cassiae, cassus, divisiones, Ciceronem et Virgilium scripsisse, manus eorum docent.*

§. 41.

T littera magram cum D cognationem habet, a mentior fit mendax cet. v. supra D. Transit interdum in S, reperitur enim *pultare* p. *pulsare*, *mertare* p. *mersare*. Quintet. 1. 4. p. 43. Hinc fit a *quatio, quassi*; a *mittio, misi* cet. Tl ante vocalem ex recentiorum Grammaticorum decreto ut *xi* prontinciatur. Huius sibili Gothi auctores putantur. Sed sonus T retinetur in *litium* et *vitium* a lis et *vitis*, ut a nominativis *licium* et *vitium* discernantur; deinde si S praecedat, ut *quarlio*; post in peregrinis, ut *Miltiades, tiara* cet. denique in paroge, ut *mittier, quatier.* y. Lips. de recta pronunciat. L.L. c. 14.

§. 42.

Vau littera idem fere, quod digamma aeolicum, munus praestat, iam in initio vocis, ut *Vesper, ἐσπερος*; iam in medio, ut *ovum, ῥων*, seu *ῳδον*. Quintet. 1. 1. 4. et Priscian. 1. 1. Hoc vero digamma ita appellatum est a figura, quod duplex gamma videretur. Est autem eadem figura, qua F littera, sed inversa: *ᾳ*, ut in multis inscriptionibus certitur, v. c. *Sergius, Σεργιος*, dicit cet. cf. Serv. ad Virgil. Aen. 1. 451. et Voss. de A. G. c. 15. seq. V ante aliam vocalem Graeci expriment per *ου*: ut *'Ουαλεριος, Ουεγγιλιος*, occurrit tamen et *Βιργιλος*; *Βαρρων*, Varro et Romani vicissim a *βιοτη vita* dixerunt. Quomodo itaque et ubi V vocalem

Iem et V consonam distinxerint, dubium videtur, hoc certum, figurā non distinxisse, ignorasseque figuram **U** sen **U** quae ex Gothicō charactere est. cf. hac de littera Nolten. l. c.

§. 43.

X nostrarum litterarum ultima, qua carere potuimus, si non quæsissimus. Quinet. l. 4. et veteres quidem non habuerunt, cuius loco *ts*, vel *gs* scriperant: *facit p. faxit*, *Allobroḡs p. Allobrōx*, ita et *pais*, *gregs*, unde *pacis*, *gregis* cet. Frequentissime X et SS permittantur, ut *Vlyxes* et *Vlysses*, *naxa* et *nassa* cet. Scripterunt etiam hanc duplēm X Romani cum S adiuncto. Gruter. in vetustis tabulis et fragmentis p. 184. *maxfūmus*, *dixferunt*, *uxfor* cet. Florentiore vero actate hoc S neglectum esse constat; quod grammatici, longius quam decebat, ad verba etiam cum *ex* composita, quorum prima S est, pertrahentes, illud S, tamquam superfluum abiecere. Perperam, sed ita in primis Priscianus, qui, quod Graece *ex* non *εξ* ante *σ* scribatur, et *ex* sit loco *cs*; scribendum censet: *exequor*, *expecto*, *existo*, cet. Sed hinc sequeretur potius, scribi debere *exsequor*, quo pacto etiam antiquitus scribebatur *exferre*.

§. 44.

Z Graecæ originis. Usus illius in iis tantum vocalibus est, quarum ex Graecia petita est derivatio, ut *Zephyrus*, *Zona*, *Zelus*. de eiusdem varia pronunciatione Alciat. Parerg. 5. 14.

II. De originatione.

§. 45.

Secunda orthographiae regula *originatio* vocabulorum est, in qua quaeritur, utrum voces primitivæ sint, an derivatiæ; simplices, an compositæ; vernaculae, an peregrinae? idque ea mente, ut; nisi usus vetet, vera scriptura earum intelligatur. Recensebimus aliquot voces, quarum scriptura hac originationis lege iudicatur.

Ado.

Adolescens per o, si duce Festo ab *oleſco*, i. e. *cresco*, derivatur. alii *adolescens*, ob affinitatem enim litterae o et u facile olim commutabantur, unde et *adultum* p. *adoſtum*. utrique scripturee favent monumenta antiqua. Voss. Etymol. p. 8.

Ancora sine adſpiratione, Graece enim *ἄγνυξα*, cuius etymon *ἄγξη* i. e. *uncus*.

Auctum-nus rectius quam elifo c, *autumnus*. *Auctum-num*, Festus inquit, quidam dictum exſilimant, quod tunc maxime augeantur hominum opes, coactis agrorum fructibus.

*Blanditia*e per T, non per C, est enim a partic. *blanditus*.

Brachium, bene ex Graeco *βράχιον*. Manutius exhibet ex Virgil. Carpensi *brachia*, credo metri cauſa.

Caeter n̄at' *απονομην* p. *caeterus*, (ſingulo enim numero ſaepe uſi vett. ut *caetera vita*, *omne caeterum* et ſimilia etiam apud Ciceron.) idem eſt ac *n̄at' ἔτερος*, unde liquet per *oe*, diphthongum, ſcribendum eſſe. *n̄at'* vero fere ſine illa vi additum eſt, ſed eadem ratio et Latinarum vocum eſt, dicitur enim, *plerique*, antique *pleri*, ita quoque *etenim* et *enim*. Alii *ceterus* i. e. *ἔτερος* per ſimplieem vocalem conſentiant vett. lib. et lapp. hinc posterior ſcriptura melior.

Convic-ti geminum etymon ponit Festus: *Convic-tum*, inquit, a *vici*s, in quibus habitatum eſt, videtur dictum, vel immutata littera, quaſi *convocium*. Prius etymon ſecutus Nonius: — *convic-tum* dictum eſt, quaſi a *vici*s loqui, quia ſecundum ignobilitatem loci maledictis et dictis turpibus cavillentur. — Laurentius Valla et Perottus cēn-fent, potius venire a *viti*um vel *vito*. ſed ſi eſſet a *con* et *viti*um, corriperet ſecondā, quam Ovid. Martial. et alii prodicunt, a *convito* eſſe nequit, quia id Latinum non eſt. Quid? ſi igitur dicamus eſſe ab antiquo *vito* pro *vinco*? quomodo pro *frango* dixere *fragv*, unde *fregi* et *fragilis*. — Similiter dixisse *vito* oſtentit praeteritum *vici*. — Ita *convic-tum* ſit ex eo, quia quis alterum redarguat ac *convincat*. Sed aliud *convic-tum* fa-

cere,

cere, aliud, erroris aut criminis *convincere*. Deinde prior in vico brevis erat, ut in frago. de *frago* arguit *fragilis*; sic de *vico* arguit *pervicax*. cuius mediam Horat. et alii corripiunt. Quare omnino a *voce* est: proprieque sic vocatur, quod cum vociferatione dictum est, sive unus sive plures dixerint, modo in coetu dicitur. Hanc sententiam non leviter confirmat, quod, cum *vito* et *vitium*, semper dicantur de rebus malis, *convicium* etiam in bonam partem accipiatur. Seneca Med. *Festa dicax fundat convicia Fescenninus. solvat turba iocos.* Martial. III. Epigr. III. ita quoque apud Quintil. Ciceron. Ac in *Glossis vett.* *convicior* non tantum $\dot{\nu}\beta\epsilon\zeta\omega$, sed et $\kappa\alpha\tau\alpha\beta\omega$ exponitur. — Haec fere Vossius in Etym. p. 157.

Cunctari, percunctari Festus; *contari, percontari* Verrius. *Festi* haec verba: *Percunctatio pro interrogatione dicta videtur ex nautico usu*, qui conto pertinent, cognoscuntque navigantes aquae altitudinem. ob quam caussam ait Verrius etiam secundam syllabam per O solere scribi. Mihi id falsum videtur. Nam est illa percunctatio, quod is, qui curiose quid interrogat, per cunctas res it; ut recte per V litteram scribatur. —

Non alienum videtur Noltenii notam ad vv. *cunctari* et *contari* addere, in complures enim grammaticorum investigationes etymologicas cadit. Miror sane, inquit, *Grammaticorum intempestivam sollertia in his verbis, quae eadem quidem subinde significant, sed eapropter non eadem illico sunt vocabula, ut adeo dispicere haud opus sit, utra scriptio praferenda sit.*

Delicatus a deliciis, quae a faciendo dictae sunt, hinc *deliciae* scribendum, non *delitiae*.

Inclitus, inclitus, inclutus. Etymon est $\kappa\lambda\upsilon\tau\sigma$ gloriōsus, ad quod provocant, qui per y scribunt. At alii *inclusus*, quod pro Graeco $\kappa\lambda\nu\epsilon\iota\gamma$ dixerunt Latini *cluere* (quod Voss. l. c. p. 142. dici, esse, interpretatur) gloria ut cluere, *victoria cluere* cet. Plaut. et in aliis quoque vocibus y in u transisse notum, (ita *Satura* et *Jatyra*, *Sulla* et *Sylla*.) Qui per i scribunt, provocant ad Latinorum consuetudinem, Graecae litterae y non minus

minus *i*, quam *u* substituendi, praesertim antiquissimis temporibus. In libris et monumentis media haec littera variat, attamen scriptura per *y* evaluisse videtur.

In posterum rectius divisis vocibus quam coniunctis scribitur. Elliptice enim dicitur *p. in posterum diem vel tempus*. Cic. pro Deiot. 7. in diem posterum differre, et Nat. deor. 2. 91. in posterum tempus. Ita et *in dies*, *in primis*, *cum primis*, rectius divise scribuntur. cf. Nolten. l. c. p. 83.

Letum alii, *ali lethum*. Prisciano iudice descendit a supino *letum* antiqui verbi *leo*, ex quo remansit *deleo*. Varro vero et Festus extra Latium vagantes a Graeco ληθη deducunt. Varro 4. de L. L. ollus *leto datus est*, *quod Graecus dicit ληθη*, h. e. *oblivio*. Quod etiam si sit, tamen *letum* praevalet, partim quod Σ Graecorum non semper apud Latinos *th* peperit, partim quod huic scripturae Mss. lapp. et alia monumenta favent.

Patricius idem fere denotat ac *pater*, et *cius* tantum nominis productio est. Nam ut ab *aedili*, *tribuni*, *lateri*, *novi* cet. est *aedilicus*, *tribunicius*, *latericius*, *novicius*; sic a *patri*, *patricius*. ita Vossius. Alii malunt dici a *pater* et *cire*, compulsi verbis Livii l. 10. c. 8. Per *c* scribi iubet et Priscianus, ex cuius sententia in omnibus vocabulis *cius* scribendum est, quae primum derivantur a nominibus, h. e. in denominativis, ut *natilicus*, *gentilicus* cet. deinde a supinis, ut *advecticius*, *adventicius*, *commendaticius* cet. Consentinent nummi, lapp. et Mss. melioris notae. Primitiva vero ex origine aestimanda sunt, ut *Potitius*, *Horatius*, *Statius* cet. Cf. Nolten. l. c. p. 14. seq.

Spatium per *t* ob. originem Graecam, est enim a σπαδικ, quod Aeolicum, Doricum et Creticum est p. σαδικ. Solent Aeoles, quos Romani sequuntur, π et τ commutare, quomodo pro σολη dixerit σπολη, et contra a σπεδη est studium. Reperitur tamen *spacium* per *t* in edd. Livii optimae notae. Quod vix intelligo, nam *ci* et *ti* ante vocalem nostris quidem temporibus eundem sonum habent, Latinitate florente non item. Itaque eiusmodi commutatio librariorum vitium esse vi-

detur. Codd. enim, qui supersunt, sextum saeculum non superant, quo tempore elatio litterarum corrupta iam a Gothis erat.

Suboles ab olescendo i. e. crescendo: ut adolescentes quoque et adulti et indoles dicitur. haec Festus. Ita quoque Virg. cod. Romanus, Pandectae Florentini et inscript. apud Gruterum. Aldi auctoritate factum est, ut scriberetur *suboles*, idque se dicit largiri consuetudini, quae auribus indulserit. Quasi euphonia sit in *sob!* *Et omnino non est nostrum*, Vossius ait, (Etymol. p. 499.) *immutare voces Romanas ex nostrarum aurium iudicio, sed potius eas farta tectas reservare.*

Taeda a δαις seu δαι vel potius accusativo δαιδη, ut ab ἐβδομας dicimus την ἐβδομαδα, unde hebdomadam dicunt Latini. Atqui *daida* scribendum esset, sed ex commutatione D et T litterarum discitur, quemadmodum *tarda* scribi queat.

Tropaeum, τροπαιον, unde et recte haec vox in antiquis cdd. lapp. et in nummo Pescennii scribitur sine adspiratione; quemadmodum Pierius admonuit ad Georg. 3. et Aen. 10. *Trophaeum* est a prava consuetudine, qua nimius inducebatur adspirationis usus, adeo, ut quoque dicerent, *chorona, chenturio, chommodo,* quod in Arrio ridet Catullus. cf. Quint. 1. 5. p. m. 56. Etymon quoque repugnat, nam est *τροπαιον* a *τροπη*, (fuga hostium,) Quare non magis *tropheum* dicendum, quam *trophi* pro *tropi*, quod eiusdem originis. Dixeris fortasse π hic mutari in adspiratam, eodemque modo ἐπαικιση dici Latinis *Riphacos montes, Βοσπορεv Bosphorum.* Sed parum verisimile est, Romanos idem fecisse in *tropaeum*. Nam si adspirassent derivata a *τρεπω*, confudissent ea cum derivatis a *τρεπω.* Voss. Etymol. p. 533.

Valitudo et valetudo per e longum, utrumque bene. Quemadmodum enim vett. dixere olim et oletum, ita et valitum et valetum, ab uno valitudo, ab altero valetudo. Pari modo *confuetudo* a *confuetum*, (a *confueo*. Charis. 1. 3. cap. de inchoativis,) *Valetudo* etiam reperiatur

tur in inscript. apud Gruter. p. 926. n. 8. in nummo gentis Aciliae apud Ursin. et in edd. antiquis.

§. 46.

Vel ex paucis his vocibus, quarum originatio est expedita, facile vides, legem hanc non ubique ducem atque indagatricem esse posse. Nam haec eadem originatio non ubique certa, non ubique nota est. Sunt itaque alia auxilia querenda, *analogia* et *prosodia*, de quibus, quoniam non ita magni ponderis esse videntur, admidum paucis proferemus.

Analogiae haec vis est, ut id quod dubium est, ad aliiquid simile, de quo non quaeritur, referat, ut incerta certis probet. Quinct. I. 6. ubi plura. Subiiciemus duas modo voces, ex hac regula diiudicandas.

Monumentum per i recte quidem, est enim a monitum, ut nutritum a nutritum, vestimentum a vestitum cet. Monumentum vero per u etiam καταθλογιαν, ut documentum, documentum, tegumentum cet. et veteres i et u saepenumero commutasse, supra vidisti. Utramque scripturam lapp. antiqui sepulcrales tueruntur.

Sepulcrum sine adspiratione. ut enim a fultum, fulcrum; ab ambulatum, ambulacrum; a lavatum, lavcrum; ab involutum involuerum: ita a sepultum, sepulcrum. Accedit Ciceronis auctoritas. *Per aurium iuditium semper licet dicere sepulcra, lacrimas.* Orat. 48.

Accentus, quas Graeci προσῳδίες vocant, quamquam multo levioris ponderis sunt, attamen possunt interdum scripturam emendatam corroborare. v. c. *preces* per e simplex exprimendum est, ae enim diphthongo obstat quantitas syllabae, qua corripitur.

Iocundus rectius videtur quam *iocundus*. Sunt enim qui *iocundus* dicant a *ioco* vel *iocando*, sed prosodia reclamat. At trahat hanc originem. Quid enim, si hoc vocabulum u adsumisset, ut olim fuerit *iocundus*, quomodo *iouare*, *iouititia* et alia scriberebant. Idemque factum in *humanus* ab *homo*, nam olim fuit *houmanus*. Haec caussa est, cur *iocundus* et *humanus* producant primam, contra quam sit in *iocus* et *homo*. Sed audiatur Cicero de finib. 2. *Hanc iocunditatem transfer in animum. inva-*

re enim in utroque dicitur ex eoque iucundum. faveit omnino analogia, ut enim a *fetum*, *secundus*; a *fatum*, *secundus*, ita a *iutum iucundus*. Accedit, quod plura antiquitatis monumenta *iucundus* expressum habent, quamquam non defunt, quae hanc vocem cum o referant. cf. Voss. Etymol. p. 272. et Nolten. Lex. Antibarb. p. 87. seq.

Vides itaque, cum vocum quantitas mutetur, profodiam scripturae raro posse praesentem opem ferre. et ad analogiam quod attinet, hanc quoque vides, cum plures eiusdem vocabuli analogiae esse queant, nisi auctoritas accedat, parum certe orthographiam adiuvare. Unde Quintilianus 1. 1. *Meminerimus*, inquit, *non per omnia duci analogiae posse rationem*, cum sibi ipsa plurimis in locis repugnet. et paullo post: *Non enim, cum primum fingerentur homines, analogia demissio coelo formam loquendi dedit; sed inventa est, postquam loquebantur, et notatum in sermone, quid quomodo cadat;* itaque non ratione ntitur, sed exemplo, nec lex est loquendi, sed observatio, ut ipsam analogiam nullā res alia fecerit, quam consuetudo. Originatio denique, in qua etiam, quoties hanc aleam tentant, viri gravissimi ludunt, tum demum aliquid momenti adferre potest, quum certa est atque indubitate, quamquam tum etiam videndum, utrum scripturae, originatione stabilitae, idonea veterum documenta adsentiant.

§. 47.

Reliquum est, ut de *usu* differamus seu auctoritate veterum monumentorum, ad quae, quamquam non sine discrimine, omnis scriptura exigenda esse videtur. Tria vero sunt, quae hoc pertinent. Primum *nummi*, florente adhuc Latinitate et publice et privativi cusi; deinde *marmora* et *lapides*, eadem aetate publice inscripti; post *antiquiores codices*, accurati exarati, communique criticorum calculo probati; his denique addi grammaticorum veterum auctoritas potest.

§. 48.

In *nummis antiquis* optima plerumque scribendi ratio reperitur; non a criticis quidem cusi sunt, attamen

men non sine moderamine virorum principum, cultioris Latinitatis peritorum. Hinc Gesner. ad Heineccii Fundament. stili p. 20. accuratissimam plerumque scribendi rationem sequuntur nummi. cet.

Scriptores vero, qui hosce orthographiae fontes aperuerunt, vel de notitiae numismaticae usu egere, vel nummos veteres collegerunt, eosque sunt interpretati. Illorum praecipui fere hi sunt: Ezech. Spanheimus; Ludov. Jobertus; Carol. Patinus; Burcard. Gotth. Struvius; Ludov. Deviel; Anselm. Bandurus; Philip. Labbeus; Rudolph. Capellus; Adam. Rechenbergius; Justus Joseph. Scaliger; Polycarp. Tenzelius; Antonius Augustinus; Car. Caes. Bandelotius; Joach. Camerarius; Handthalerius, Matthias Hostus; Paul. Petavius; Willebrordus Snellius; Joan. Christoph. Olearius; Joseph. Maria Suarezius; Joan. Evelynus; Anton. Piso; Gaillardus Giramus; Georgius Vionettus; Hubertus Golzius; Antonius Savotus; Claudio Chisletius.

Praecipui vero eorundem nummorum collectores atque interpretes fere hi sunt: Bandurus; Laurentius Begerus; Joan. Harduinus; Christian. Siegesm. Liebius; Conſt. Landus; Christian. Frider. Ruhe; Joan. Pet. Bellorius; Franc. Mediobarbus Biragins; Gisbertus Cupe-
rus; Hubert. Golzius; Anton. Franc. Gorius; Car. Heidanus; Laevinus Hullius; Nicolaus Kederus; Andreas Morellus, Henricus Norisius; Jacob. Oyselius; Carolus Patinus; Paul. Petavius; Adolphus Occo; Joan. Sambucus; Gaspar Schoppius; Georg. Schraeterus; Pe-
trus Seguinus; Polycarp. Tenzelius; Joan. Vaillant; Aeneas Vicus; Joan. Vignolus; Fulvius Ursinus; Ja-
cob. de Wilde, multique alii, quos J. F. Nolten. bre-
viter recensuit. cf. eius Lex. Antibarb. Tom. poster.

§. 49.

Secundo loco *lapi- des* ponendi sunt *inscriptionesque antiquae*. Huc pertinent:

Fasti Capitolini (seu reliquiae monumentorum mar-
moreorum Romae 1547. repertae et Alexandri Farnesi
Cardinalis auspiciis in palatio Capitolino repositae,) qui-
bus rerum memorabilium tempora ab anno V. C. 120.
ad

ad annum 765. indicantur. Fabricii Bibl. Lat. T. I.
p. 764.

Leges XII. tabularum, latae circa annum V. C.
303, edita que post tot aliorum interpretationes a Joan.
Nicol. Funccio. Rintelii 1744. 4.

Monumentum Ancyranum de rebus gestis imperat.
Augusti. Hae tabulae prope Ancyram, urbem Galatiae,
repertae apud Gruterum in inscriptionum Syntagmate
et apud Rutgerium in variis lectionibus occurunt. v.
Fabric. Bibl. Lat. T. I. p. 744.

Duilius, (qui primus Romae naval certamine triumphavit A. V. C. 494.) *columna rostrata*, in Capitolinis
urbis ruinis reperta. cf. J. N. Funcius de origine et
pueritia L. L. c. 5.

Cenotaphia Pisana, quae duo lapides sunt, Pisae
reperti, cum inscriptione in laudem nepotum Augusti
imperat., Caii et Lucilii. Quam inscript. erudite
interpretatus est Norisius Cardin. Venet. 1650.

Omniesque omnino inscriptiones antiquae, quarum
praefantissimi collectores fere sunt: Janus Gruterus;
Thom. Reinesius; Raph. Fabrettus; et Marquardus Gu-
dius. cf. Nolten. Lex. Antibarb. T. II.

§. 50.

Inter Codices Mss. vetustiores, qui in caussa ortho-
graphiae vim habere legis videntur, in primis nominandi
sunt, *Virgilius Romanus*, *Virgilius Carpensis* seu
Mediceus, item *Pandectae Florentini*. Huc quoque re-
ferenda sunt specimina veterum scripturarum, ex cdd.
Mss. per varias aetas collecta et tabulis 60. digesta a
Mabillonio. cf. *Joannis Mabillon de re diplomatica*.
libri VI. Paris. 1709. De Grammaticis alio loco.

§. 51.

In cdd. vero consilendis aetas consideranda est,
nam in iis, qui paulo ante typographiam inventam ex-
arati sunt, non pauca existant, quae ab indoctis libra-
riorum manibus adspersa virgulam merentur censoriam.
Nec minore cum cura inscriptiones in subsidium vocan-
dae sunt. In antiquissimis enim multa sunt, quae aurea
aetas

aetas emolivit. Cic. orat. 48. Quint. I. 7. et. I. 8. c. ult. Unde frustra esset, qui ex Fragmento Duiliano obsoletis scribendi rationibus scatente orthographiae perte exemplum sustineret. Et in recentioribus lapp. saepenumero sine eruditorum moderamine insculptis, indecni opifices rusticam suam verborum elationem posterrati mandarunt. cf. Gesner. notae ad Heinecc. fundament. styl. p. 20 seqq.

§. 52.

Quae cum ita sint, facile vides, in dubia scriptura vocis diiudicanda, nisi universa omnia, plura tamen esse saepenumero consulenda. Iam subiiciemus aliquot voces, quarum scriptura potissimum usu nititur.

Absorpsi, scripsi, nupsi, lapsus et alia, rectius quidem, ratione originationis habita, per h̄ scriberentur, sed usus (quem penes et scribendi arbitrium est, Quint. I. 7.) tuetur p. Priscian. 9. p. 354. Ita et Graece αἴσθησθαι et τείχω fit θλιψω et τείχω.

Ad praepositio modo cedit in compositione, modo manet, modo ambiguæ sortis est. Manet ante d, m, n, q, s. hinc addere, admonere, adnotare, acquiescere, (nam acquiescere sine auctoritate veterum scribitur,) adspirare. Cedit ante e, g, p et t, ut accipere, agger, apparere, attribuere. Variat denique ante f, l, r. ut adferre et afferre, adlevare et allevare, adridere et arridere. In Pandect. Florent. praepositio haec semper integra servatur. cf. Voss. Etymol. p. 7.

Atque hodie receptum est, Augusteo aevo et adque in usu fuit, quod ex vett. lapp. ac libris apud Gruter. appetat. Unde Jul. Scaliger I. de caussis L. L. c. 22. *T posuimus pro D. Adque illi dixere, nos atque. Sane melior prisorum ratio, nam et mollior sonus est, et origo servatur. Praepositionis enim vis adhuc manet, ut dicamus: Tu atque ego, et sit: Tu et ad te ego.*

Auctor plane incertae originis est, sed nummi et lapides optimae notae *auctor* exhibent. Charisius trahit hanc vocem ab auctum. *Auctor*, inquit, *propterea dicitur, quod augret et generaret, cet. Alii author ab auctoribus, et sene in vett. glossis legere est: auctoritas eius.*

αὐθετικός. it. *auctor*, *αὐθετης*. Vossio aliquando plau-
cuit *auctor* simplici scribi t. Ut a *fautum*, *fau-
tor*; sic ab *autum*, *auctor* deducebam. Quippe
auctor proprie dicitur, qui aliquid avet seu *cupit fie-
ri*. cet.

Bellua a bello esse dicitur, quia inter se bellum ge-
rant. Ita quoque cdd. antiqui teste Lipsio. Antiquissi-
mis temporibus, quibus litteras non geminabant, *belua*
per unum *l* scriptum legitur. Unde Plautus (Pseud. 1.
2.) et Varro primam corripiunt.

Con praepositio in compositione modo *n* litteram
abiicit, modo mutat, modo retinet. Abiicit ante vo-
calem et *h*, ut *coire*, *cohaerere*, servatur integra in *con-
cidere*, *conducere*, *conferre*, *congerere*, *conicere*, *conne-
ctere*, *conquirere*, *conservare*, *conterere*, *convolvere*. Item
ante *l* manet plerumque, ut *colapsus*, *collega*. Ita
cdd. Heinsiani Virgilii aliorumque poetarum. Sed sae-
culo Traiani et post eum, *collapsus*, *collega*. Ante *b*,
p et *m* transit *n* in *m*, et ante *r* in *r*; ut *comburo*,
comparo, *committo*, *corruo*.

Egregius per *e* simplex in antepenultima, *egrae-
gius* per *ae* in marmore sculptum invenitur. falso. et-
enim parum probant marmora, sicuti syllabae quanti-
tas, aut originatio, aut analogia, eaque aliorum lapp.
contrarium exhibentium contensu corroborata, recla-
mant.

Idcirco rectius quam *iccirco*, idque ob rationem
originis, est enim ex *id* et *circa*. Alii *Inbentius* *iccir-
co* scribunt, idque ob rationem analogiae, dicitur enim:
accipio, *accelero* cet. Accedit auctoritas multorum cdd.
vett. et lapp. qui *iccirco* expressum habent. Lipsio te-
ste et *idcirco* in lapp. quibusdam legitur.

Immo per *mm*, bene, ita enim exhibet Virgil.
Carp. Aldo teste, et libri Varronis, Prudentii et casti-
gatissimus quisque. Cellar. Pro *imo* per *m* simplex origi-
natio pugnat, si nativa est, quam Vossius Etymol. p.
263. profert. *Imo*, inquit, *particula ab imus*, ut *certo*
a certus. Itaque *proprie valet*, *imo* seu *postremo loco*,
h.e. postremo illud addo, *quod plus est*. Cic. in Catil. 1.
Hic tamen vivit? vivit, *imo* vero etiam in senatum venit.
Iuppi-

Iuppiter per *p* duplex in nummis, lapp. et lib. vetustis; in paucis per *p* simplex, et id archaice occurrat. cf. Cellar. Lips. 83. seq. Ruhe spec. phil. 2. p. 24.

Littera per *t* duplex exhibent lapp. et vett. libri, v. c. Pandectae Florent. et ita in vorsa et prorsa scribendum est. Et, quia incertae est originis, vid. Voss. Etymol. p. 292. eo minus monumentis antiquitatis obloqui licet.

Litus per unum *t* codd. vett., v. c. Virgil. Carp. et Japp. Unde derivandum sit, non constat. Cic. in Top. *Litus* est, quod fluctus allidit. alii elidit. Quidquid vero scripsit, veram etymologiam hinc extricare non est. Vossius deducit hanc vocem a λίτη (γαστρί) i. e. terra inarata et provocat ad proverb. *litus arare*; alii aliunde.

Nummus et *numus*. prius in libb. et lapp. frequenter Manutio teste; hoc ex antiquioribus temporibus, quibus litterae non geminabantur. Etymologici hinc illinc vocem hanc trahunt. Alii a *Numa* rege, quia primus ex aere ferroque monetam Romanis dederit. Sic sane Suidas. Alii ab eodem Numa, sed aliam proferunt caussam: quod is primus pecuniam imagine notarit suumque praescripserit nomen. ita Isidorus. Alii a νομίσμα. ut a νομίσμα Graeci dicunt νομίσμα; ita Latini ab eodem dixerunt *numus*, O in U converso, quomodo a Φωνή est fur. Sic Festus et caussam dicit nominis esse, quod valeat νομίσμα i. e. *lege*, seu conditione quadam. Alter Vossius, qui vocem hanc puram putam Graecorum esse arbitratur. Nam, inquit, ut Jul. Pollux scribit l. 9. Romani hanc vocem habent a Doriensibus, Siciliac incolis, quos Aristoteles in lib. de Tarentinorum republ. auctor est habuisse νομίσμα, in quo Tarantis, Neptuni filii, imago impressa erat, equo insidentis. cet. Eadem fuit sententia Varronis l. 4. de L. L. in argento, inquit, nummi; id a Siculis. Ex hac etymologia patet, rectius *nummus* gemino *m*: quod praeter lapp. aliquot probatur etiam acrostichide veteris scriptoris, quae Plautinae Trinummī argumentum continent.

Obso.

Obsonium bene, invita origine, in Graeco enim est ὄψωνιον. Sed illud per b Latinorum consuetudini melioris aevi, atque analogiae, quae est in *Arabs*, Gr. Αράβη, *ab finthium*, Gr. αψίνθιον, magis respondet.

Quatuor gemino t, vett. libb. v. c. optimi Ciceronis codd. ita et lapp. ceteraque antiquitatis monumenta teste Lipsio. Accedit consensus Aldi, Gruteri, Gronovii, aliorum, ita denique libri primis παλιγγενεσίαι litterarum temporibus excusi. Etymologia non constat. Festus a πετορᾳ deducit, pro πεσσαρᾳ, abeunte π in q, ut a ποτος quotus; vel a Dorico τεπορᾳ p. τεσσαρᾳ, abeunte τ in q, ut a τις est quis; vel ex Scaligeri sententia ingeniosa descendit haec vox a κατερῃ p. καὶ ἐτερῃ, Antiqui enim tres habuere numerosos εν, δυο, τρια, postea dicebant κατερῃ Scaliger de causis L. L. c. 28.

Recuperare ex vett. numerorum suffragio et hodierno usu; recuperare ex etymologia, descendit enim a recipere, consentient quoque lapp., inscriptio quadam Mediolanensis, Pandect. Florent. aliisque lib., hinc recuperare rectius.

Seculum per ae nummi, lapp. omniaque, quae fidem habent, monumenta antiquitatis, consentientibus Festo, Manutio, Scaligero, Spanhemio aliisque. *Seculum* per e simplex recentiori librariorum consuetudini debetur, qui diphthongum illam vel simplici E vel E, caudato exprimere solebant. cf. Voss. de Art. Gram. 2. 4. qui docet, iam tempore Ausonii et Prudentii diphthongorum usum fere intercidisse, et usque ad renatas litteras fuisse neglectum.

Triumphus inscriptiones et lapp., archaice *triumpus*. vid. Columna Duilliana et Cic. Orat. 48. Plerumque a Σειραῖς dictum volunt, in qua voce adspiratio deest, sed par ratio est aliarum vocum.

Vulgaris, pro quo antiquiores *vulgus*, fugiebant enim geminum V. cf. quae ante dicta sunt ad litteram V. Utraque scriptura in cdd. occurrit, et quidem *vulgus* rectius, si cum Vossio deducas ab οχλος, pro quo Aeolice

lice βολχος, unde traiectis litteris βολχος ex quo volgus.

§. 53.

Reliquum est, ut de divisione vocum, de accentibus, de signis distinctionis, de siglis, de litterarum et numerorum figuris bina vel terna verba dicamus.

Ita dividenda sunt voces, quemadmodum id patitur earum origo et compositio. Quinct. I. 7. Sic dividitur etiam; neg-otium. Sed Batavi hanc originationis legem, quia saepius obscura est, sequi nolunt, dividunt itaque, prout pronunciant: e-ti-am; ne-gotium; nec ad sequentem syllabam referunt, quae litterae iungi ab initio solent. Itaque non dividunt o-mnis, sed om-nis. Quibus in vocibus origo nota est, in iis Quinctilianii regulam adhibendam censemus.

Idem Quinctilianii locus de accentibus exponit. Interim, inquit, necessarium, cum eadem littera alium atque alium intellectum, prout correpta vel producta est, facit, ut malus: utrum arborem significet, an hominem non bonum, apice distinguitur. Vides, syllabas longas iam tum apice signari solitas. de ceteris accentibus alii aliter sentiunt, et suum cuique pulchrum. Manutius et Cellarius omnes omnino tollunt accentus. At vero, quanvis nova grammaticorum inventa sint, attamen tironibus sane utilia videntur.

Ad signa distinctionis quod attinet, Romani voces singulas, praeter finales versuum, singulis punctis distinguere solebant. Interdum et alia signa verbis interposita videmus, ut glandium, semicircellarum aliasrumque rerum figuras. D Ψ I Ψ M Ψ S. Omnia haec, cessante continuae scriptio[n]is ratione, nostris temporibus iure negliguntur. Quemadmodum vero recentiores et maiora et minora orationis membra distinguant, satis notum est.

Litteras vero singulas, easque primas vocum, olim a Romanis adhibitas fuisse ad tota vocabula signanda constat. Nominarunt eas figla, seu figlas pro figillas (litteras), Cicero pro Murena singulas litteras. et Gellius 17. 9. singularias. Exstat earum silva, ut AB V. C. ab urbe condita; A. P. R. C. anno post Romanam conditam;

D. I. M. S.

D. I. M. S. diis inferis manibus sacrum. S. P. Q. R. cet. Olim iCTi praecipue iis utebantur in exscribendis legibus. Justinianus imp. primus iussit, ut leges vocabulis integris scriberentur. l. i. cod. tit. 17. leg. 1. de veteri iure enucleando. Aliquantum eiusmodi siglarum suppeditat *Gesneri thesaurus L. L. et Joan. Nicolai l. de figlis veterum.* Lugd. Bat. 1703. 4. cf. quoque Voss. Art. Gram. 138.

Ad litterarum figuras quod attinet, veteres quis nescit usos fuisse *manusculis* litteris, vel etiam *minusculis*, forma vero ab illis parum distantibus. Saeculo quarto minuti characteres adparent in marmore Romano apud *Mabillonum in Supplement. lib. de re diplomatica p. 114.* Quo ex opere videre est, quibusnam mutationibus per singula saecula usque ad recentiora tempora obnoxiae fuerint Romanarum litterarum figurae, et quoties variarint.

Quae denique numerorum figurae Romanis fuerint, fusius exponit *P. Manutius in Comment. in epistolas Cic. ad fam. p. 290. seqq. et ad Attic. p. 18. seqq.* cf. quoque *Cellar. Orthogr. p. 51. seqq.*

SECTIO II.

DE ETYMOLOGIA.

§. 54.

Altera grammatices pars in singulis versatur vocibus, quae aut *nomina* sunt, aut *verba*, aut *particulae*. Priorae duae orationis partes *variables* sunt, posterior *invariabilis*, vel alio certe modo *variabilis*.

Hoc vero loco partim in *formas*, partim in *significationes* vocum inquiri solet. Formae vel *casus* spectant, vel *numeros*, vel *genera*, vel *gradus*, vel *modos*, vel *tempora*, vel *personas*. Haec formarum doctrina *analogia* vocatur. Doctrina vero, quae vocum docet significationes, a nonnullis *ἴεντης τινα* vel *λέξειν* dicitur, a Cicerone Acad. Q. I. 10. *verborum explicatio*, et Top. 8. *verborum*

rum notatio. Quoniam vero et formae vocum et earum significaciones a prima origine videntur pendere, tota haec pars grammatices *etymologia* nuncupatur. De singulis breviter.

§. 55.

In formis quidem usurpandis maxime videndum est, quid obsoletum sit, quid minus usitatum, quid manserit ex antiquitate, quid a poetis retentum. Formam enim vocum, i. e. earum genus, declinationem, flexionem, terminationem, quis nescit, toto coelo diversa fuisse Latinitate adolescente a virili subsequentis saeculi musa? Has vero in vocabulorum formis mutationes, praeter grammaticos, accuratissime tradiderunt J. N. Functius in illo *de adolescentia L. L. tractatu*, et A. Popma in libris 2. illis de *usu antiquae locutionis*. Unde pauca transcribere non alienum videtur.

§. 56.

Nomina primae declinationis, desinentia in A, in AS tertii ordinis antiquitus formata leguntur; ut *concorditas*, Pacuv. apud Non. 251. pro *concordia*; *angustitas* pro *angustiis*. Non. 2. 38. *insanitas*. Cic. Tusc. 3. 9. Ibid. 3. 8. Aut in ES; ut *avarities*, Lucret. 3. 59. manifest *luxuries*, quod nonnulli a *luxuria* diversum contendunt; item *materies*, quod optimi quique scriptores retinuerunt. Aut in DO; ut *miseritudo* pro *miseria*. Non. 3. 144.

Nomina secundae vulgo finita in US, modo in UM protulerunt, ut *gladium*, *nasum*, pro *gladius*, *nasus*; modo in AS tertiae declinationis; ut *auctumnitas* pro *auctumnus*. Et contra in UM desinentia saepe in US masculino genere posuerunt, ut *collus* pro *collum*; atque etiam in O, ut *deliquio*, pro *deliquium*, Plaut. Capt. 3. 4. sed *obfidium* minus usitatum quam *obfido*; *oblivium* pro *oblio* fere poetichum; de voce *contagium* cf. Gell. 12. 9. Occurrit quoque *menda* feminino genere pro *mendum*. illud in Ovid. Amor. 1. 5. 18. hoc Art. III. 261.

Nomina

Nomina tertiae in O desinentia antiquis in US fuerunt; ut *capus*, pro *capo*. Charis. i. *Capo nunc dicitur*; sed *Varr. de L. L.* Iterum, ait, *ex gallo gallinaceo castrato fit capus*. — *pavus* minus usitatum quam *pavo*. cet. Permutarunt OR et OS, hinc *arbos*, *colos*, *timos*. *labos* defenditur a nonnullis in Sallust. Catil. qua de re v. Cortius. *honos* vero et *honor* promiscue ocurrunt: ita et OR et AS, ut *nitiditas* pro *nitor*. Non. 2. 578. OR et IO, ut *amatio* pro *amor*; OR et DO, ut *albitudo* pro *albor*. Plaut. Terminatio in AS et DO promiscua: ut *similitas*, *pulchritas*, pro *similitudo*, *pulchritudo*, et vicissim *caſtitudo*, *claritudo*, *firmitudo*, pro *caſtitas*, *claritas*, *firmitas*, innumeraque alia. Ita occurrit quoque *lamenta* pro *lamentatio*, *juvenilas* pro *iuventus*. Terminationibus in AL et AR adposuere E vocalem; ut *animale*, *sale*, *exemplare*. Ita reperitur quoque hoc *lacte*, haec *tactis* pro *lac*.

Nomina quartae in US exeuntia in A prolata leguntur, ut *artua* pro *artus*. Plaut. Menaechm. 5. 2. 102. aut in IO, ut *raptio* pro *raptus*. Et desinentia in U modo in UM, modo in US masculino genere et quarta declinatione exisse constat; ut *cornum*, *cornus*, *gelum*, *gelus*, pro *cornu*, *geli*.

Nomina denique quintae in ES desinentia modo in A primae declin. flexere; ut *effigia* pro *effigies*, Plaut. Rudent. 2. 4. 7. modo in OR, ut *macor* pro *macies*; modo in DO, ut *macritudo* pro *macies*, Plaut. Capt. 1. 2. 32. sed *mollitudo*, *mollities* et *mollitia* promiscue a Cicerone aliisque usurpantur. v. Gell. 16. 7. et 17. 2. et alibi.

Hactenus de terminatione nominum, qua veteres promiscue usos fuisse ex Plauto, Terentio, Lucretio, Nonio, Festo aliisque disici potest.

§. 57.

Reliquorum quoque casuum terminations attendere velis.

Primae declinationis genitivum singularem modo per AI, (de quo supra,) modo per AS pronuntiarunt, ut *curas*, *fortunas*, unde manlit pater *familias* et

et similia composita. Ita quoque *diis*, *filiis* cet. pro deabus, filiabus dixerunt.

Secundae nomina quaedam, in US desinentia, quartae fecerunt, quod videre licet in *humus*, *domus*, *cibus*, *lectus* cet. De genitivo singulari nominum ante US vel UM syllabam I habentium vid. §. 16. extr. Genitivum pluralem per contractionem mediae syllabae protulerunt; ita *nummum*, *denarium*, *sestertium*, *deum*, *fabrum*, *librum*, *Gallum*, idque genus innumera occurunt apud Ciceronem, Varronem, Horatium, Plautum, Sallustium aliosque.

Tertiae nomina in ES desinentia, praesertim propria, quintae ferme fecerunt, efferentes genitivum in EI; ut *Achillei* Horat. *Herculei* labos. Catull. *The-mistoclei*, *Theophanei*. Cic. vel in I, abiecta S littera; ut *Ogygi* Varr. *Herculi* idem, *Chremi* Terent. *Achilli*, *Herculi* cet. Plaut. *Timarchidi* Cic. *Aristoteli*, *Themistocli*, *Isoocrati*, Id. Genitivum vero Graecorum nominum in O flexerunt in US; ut *Didus*, *Sapphus*, *Erat-tus* cet. Dativum singularem promiscue in E et I flexerunt; ut *pēde* pro *pēdi* Virgil. *mōre* pro *mōri* Pro-pert. discriminé, professione Vellej. Patercul, et sic pa-sim. Accusativum in EM et IM; ut *clavim* Tibull. *fe-brim* Cic. *turrim*, *puppim*, *restim*, *securim* Virgil. et alii. Ablativum in E et I; ut *avi*, *ovi* Varr. *amni* Vir-gil. *civi* Cic. orat. 4. in Verr. *mare* Plaut. Ovid. *sic familiare*, *conflante*, *forte* et similia, quae Charisius ad-notavit. Atque etiam in U terminationem ablativi legimus; ut *algu*, *lucu*, *nocta*, pro *algore*, *lace*, *nocte*. No-minativum et accusativum pluralem in IS, ut *omnis homines*, Sallust. Catil. c. 1. ubi vid. Cortius. et Varr. 7. de L. L. in *multitudinis* *hae puppis*, *restis*, et *hae pup-pes*, *restes*. — In accusandi *hos montis*, *fontis*, *hos montes*, *fontes*. Id. ibid. Genitivum promiscue in UM et JUM. de quo Varr. l. c. quod in patrico casu hoc ge-nus dispariliter dicitur *civitatum*, *parentum*, *civitatum*, *parentium*. Caesar de B. G. 5. cohortum. Ovid. Meta-morph. 7. *mensum*. Enn. *partum*. Contra Cicero de off. 3. *fraudium*, et in orat. 2. Philip. *laudijum*. Sallu-stius in Cat. *locupletium*, ita et Cic. *voluntatium* id.

Eundem

Eundem casum quoque in ORUM; ut *poematorum* pro *poematum*. Non. c. 8. n. 79.

Quartae nominum genitivus saepenumero ad secundam formatus legitur; ut *adventi*, *fructi* Terent. plura exempla apud Non. Saepius vero idem casus in UIS exit, ut *annis* pro *anus* Terent. *fructuis* pro *fructus*, *domuis* cet. Varr. sed et *domui* scriptum legitur genitivo casu in vett. libris Ciceronis, ut in Philippicis *domui sueae*, et in Tuscul. *domui alienae*. Dativum denique in U, abiepto I protulerunt, ita saepe Caesar in Commentariis de B. G. et B. C. ut *casu*, *consensu*, *receptu* cet. pro *casui*, *consensui*, *receptui*. ita et Sallustius, Tacitus, Lucretius, Terentius, Virgilius.

Quintae declinationis genitivum aut nominativo similem habuerunt, ut huius *dies*, *luxuriae*, pro diei, luxuriae; aut dativo, ut *acie*, *die* pro aciei, diei Sallust. aut per ii pronunciarunt; ut *di* pro diei. cf. hac super re Gell. 4.

§. 58.

Genus quoque alio alioque modo positum occurrit. Hic nonnulla tantum proferemus, quae sub eadem terminatione ambigue usurpata leguntur. *Deus* utroque genere ut apud Graecos οὐκ εἰ θεος. Virgil. Aeneid. 2. *discedo a ducente deo*. Venerem intelligit. Ita quoque *agnus*, *lupus*, *porcus* et similia, quibus sexui discernendo aut *mas* addebatur et *femina*, ut *porcus feminā* Cato de R. R. *canis femina* Justin. aut articulus, ut *haec lupus*. v. Festus in voce *agnus*. Legitur porro finis genere feminino apud Lucretium, usitatiss est masculinum. *Stirps* genere communi: *Imus stirps* Virgil. Aen. 12. 208. si de arboribus loquimur, *masculino*; si de hominibus, *feminino*. Ita Servius ad hunc locum. sed Quintet. 1. 6. ad eundem *antiquum* esse dicit *masculinum*. Cicero *femininum* usurpat de arboribus etiam loquens. *Annis* apud Plaut. et Varr. genere feminino occurrit. Graeca denique nomina, quae velgo tertii ordinis et neutrius generis sunt, veteres ad primum genere feminino protulerunt, ut *dogma*, *ae*; *schema*, *ae*; *glaucoma*, *ae*; *diadema*, *ae*; vid. Voss. Instit. orat. 5. p. 258.

§. 59.

§. 59.

Adiectivorum quoque terminationem flexionemque et genus, quis nescit aevo antiquiori ab elegantiore florentis saeculi latinitate fuisse diversa? Ita *alterae*, pro alteri, *solae* pro soli; *nulli* pro nullius apud Terentium. Unde patet quae admodum antiquiores flexerint *unus*, *neuter*, *totus*, *iste*, *ille* cet. Item *gracilis* pro *gracilis*, *hilarus* pro *hilaris* cet. apud Terent., *magnificior* pro *magnificentior*, Fest. h. v. *munificior* pro *munificentior*, Id. *plerus* pro *plerusque*; ut *pleraque pars* apud Pacuv.

§. 60.

Eadem ratio est pronominiū, quorum formam alio
alio modo vetustas illa protulit: ut *ipsus* pro *ipse*,
Plaut. Terent. qui pro *quis*, Terent. *Quis*, *quisquis*,
quisquam genere muliebri. *Quis tu es mulier?* Plaut.
Quemnam te esse dicam feram? Varr. *hic*, *haec*, pro *hi*,
hae; *hisce* pro *hi*; *hibus* pro *his* Plaut. Terent. *mi et me*
pro *mihi*. *nimir me indulgeo*. Terent. *quitum pro quocum*.
Plaut. *ab aliqui* pro *aliquibus* Id. cet.

§. 61.

Verborum quoque formae variae admodum atque
ancipites occurunt. Primum enim, quod ad genus atti-
net, alia, quae ut plurimum terminationem patientiū ha-
bent, in agendi terminationem desinunt: ut *arbitrare* pro
arbitrari. *cohortare*, *congredere*, *consolare*, *contemplare*,
dignare, *frustrare*, *imitare*, *impertire*, *laetare*, *merere*,
mirare, *opinare*, *pollicere*, *proficisci*, *recordare*, *scruta-
re*, *sortire*, *vagare* cet. Alia patientiū terminationem ha-
bent loco *agendi*, et instar deponentium accipiuntur: ut
adiutari pro *adiutare*, *certari*, *copulari*, *murmurari*, *nu-
triri*, *puniri*, *sacrificari*, *spoliari*, et sexcenta alia, quo-
rum omnium exempla et testimonia recitant grammatici,
et Plautus, Terentius, Gellius, Nonius aliique suppe-
ditant.

Deinde *coniugationum* quoque magna varietas fuit
atque inconstantia, unde multa duplice coningatione in-
flexa leguntur: ut *prima* et *secunda*, v. c. *densere*, pro
densare Lucret. Virgil. Horat.; *prima* et *tertia*, v. c. *do-*

mere et domare, (hinc domui et domavi.) gerere et gerare,
(unde agḡare,) prima et quarta, v. c. impetrare et
impetrare, obſtare et obſtire; secunda et tertia, v. c. fer-
veo et fervo, fulgeo et fulgo cet. tertia et quarta, v. c.
cupere et cupire, parere et parire.

Nec minor est temporum in verbis modorumque va-
rietas. Veteres aliquando tempus praeteritum a praesen-
ti formarunt; ut *accedo, accedi, diſcedo, diſcedi, decedo,*
decedi, Varr. *cano, canui*, Sallust. *negligo, negligi*, Aemil.
Macer. *premo, premi*. Cato. ita quoque *confundi, relin-*
qui, rumpi, cet. maxima omnino in hoc tempore diffe-
rentia appetet; ut *descendidi pro descendendi* Gell. 7. 9. *ex-*
poſivi pro expoſui Plaut. *morsi*, Gell. 7. 9. *parſi* Cato apud
Non. *ſoluuerim pro ſolitus ſim*. Verba *popoſci, momordi* cet.
veteres non per *o* aut *U* sed per *E* et hoc ad imitatio-
nem Graecorum dixerunt. Gell. 7. 9. — Tempus futu-
rum tertii et quarti ordinis in *ibo* vel *ebo* terminarunt;
audibo pro audiam Plaut. *dicebo pro dicam* Non. et multa
alia.

Modos denique in multis verbis aliter veteres pro-
tulerunt. Imperativos dic, duc fac et similia, appo-
ſita e littera, ut *dice, duce, face*, quae apud Plautum et
Terentium leguntur. — Coniunctivum tertiae coniuga-
tionis per *em* vel *im*, v. c. *dicem, attingem* Cat. *faxim*
etiam *faxo* Plaut. cf. Quint. 1. — Indicativi imperfe-
ctum per contractionem mediae syllabae in verbis quae
in *io* desinunt; ut *geſtibam* pro *geſtiebam*, Catull. *ſcibans*
Terent. *nutribam* Virgil. cet. item perfecta, ut *dixti*,
pro dixisti, ſenſti pro *ſenſisti* cet. — Infinitivi denique
praeterita, ut *abſtraxe* pro *abſtraxiſſe*, *ceſſe*, *creſſe*, Lu-
cret. *ceſſe* etiam Cic. Infinitivis passiuis et similibus vul-
go *er* appofuerunt; ut *adverſarier, viderier, credier, op-*
peririer. omnia haec in Plauto, Terentio aliisque poetis
leguntur.

§. 62.

Multarum denique particularum terminaciones bifra-
tiam et promiscue a veteribus elatas legimus. Hinc vi-
dendum est, quae terminatio uſitata fit, quae obſoleta;
Ita dicitur *here et heri*, propter cognitionem *E* et *I* litte-
raturum,

rarum, sed *heri* usitatus; ita quoque *mane* et *mani*, sed *mane* frequentius; *vespere* et *vesperi* promiscue. Item *commode* et *commodo*, sed illud usitatus, *false* et *falso*, sed *false* antiquum. Item *caute* et *cautim*, sed *cautim* antiquum; *coniuncte* et *coniunctim*, promiscue, Cicero ubique *coniuncte*, terminatio enim in IM admodum familiaris veteribus. Promiscue denique *primo* et *pri-*
mum, *secundo* et *secundum*; *tertio* et *tertium* cet.

§. 63.

Altera Etymologiae pars Εγνυτινη est seu Λεξικη (§. 54.) quac in verborum significationibus investigandis versatur. Ut omnis vero Grammatica, quid *rectum* sit, maxime quaerere solet, ita et Εγνυτινη erit, veram verborum eruere notionem, i. e. eam, quae iisdem a veteribus Latii scriptoribus subiecta est.

Vera autem haec verbi cuiusque notio priscis accurate legendis relegendisque optime addiscitur: idque fit, si et rerum et verborum contextum bene intueris; si aut verborum aut propositionum oppositionem; si, quam scriptores ipsi passim exhibent, interpretationem; si verborum vicinitatem; si additamenta; si synonymorum usum, eorumque differentias; si primam homonymorum notionem attendis. Quae quidem via, cum ardua videatur, tironem Romanum tutis uti oportet duabus; hic pertinent, praeter magistros a philologia insignes, optimi quique lexicographi, indices, interpretes veterum cet.

Ad lexica quodammodo spectant *Varronis libri de lingua Latina*; item *Flacci et Festi de verborum veterum significatione libri XIX.* It. *Titulus in Pandectis de verborum significationibus.* Ex recentioribus temporibus quasi sylva lexicorum exstat. Sed instar omnium est: *Novus linguae et eruditionis Romanae thesaurus*, post Roberti Stephani et aliorum — curas digestus, locupletatus, emendatus a Jo. Matthia Gesnero. Lips. 1749. T. 4. Fol. mai. Huic addi meretur *Im. Joh. Gerh. Schelleri Lexicon Latino-Germanicum et Germanico-Latinum*, scholasticae iuventuti accommodatissimum.

Sunt porro *lexica singularia* certo cuidam auctori rectius intelligendo concinnata: ut Joh. Philipp. Parei *Plautinum*; Danielis Parei *Lucretianum*; Christoph. Kelteri *Phaedrianum*; Joh. Knollii, it. Joh. Wilh. Rolsfii, it. Joh. Jac. Schatzii *Cornelianum*; Henr. Stephani *Ciceronianum* cet.

His accensendi sunt *indices praestantiores*: Heusingeri in *Cornelium*; Freinshemii in *Florum*; Gifanii in *Lucretium*; Ernestiana clavis in opera Ciceronis.

Huc quoque pertinent *Glossae* seu *Glossaria*, in quibus peregrinae aut insolitae voces notioribus redduntur, quae inter eminent *Car. Labei Glossaria Latino-Graeca et Graeco - Latina*. Paris. 1679. fol.

Denique non parum adiuvant ad intelligendos priscos *notae philologicae*, ut Gronoviorum, Graevii, Burmanni, Scheffleri, Duckeri, Cortii, Drakenborchii, Oudendorpii, Ernestii aliorumque.

Prius vero, quam de singulis breviter exponendi initium faciam, loca brevia ex Cicerone transcribam, quo, quae dicta sunt, melius intelligas adhibereque possis.

Quid? lituus iste vester, quod clarissimum est insigne auguratus, unde vobis est traditus? nempe eo Romulus regiones direxit tum, cum urbem condidit. Qui quidem Romuli lituus, (id est, incurvum et leviter a summo inflexum bacillum, quod ab eius litui, quo canitur, similitudine nomen invenit,) cum situs esset in curia Saliorum, quae est in Palatio, eaque deflagravisset, inventus est integer. Cic. de Divinat. I. 17.

Affiduitate quotidiana et consuetudine oculorum assuefcunt animi, neque admirantur neque requirunt rationes earum rerum, quas semper vident: proinde quasi novitas nos magis, quam magnitudo rerum debeat ad exquirendas caussas excitare. Quis enim hunc hominem dixerit, qui, cum tam certos coeli motus, tantos astrorum ordines, tamque omnia inter se concreta et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, quae quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? An cum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut sphaeram, ut horas,

ras, ut alia permulta; non dubitamus, quin illa opera sint rationis: cum autem impetum coeli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, constantissime conficiem, vicissitudines anniversarias, cum summa salute et conservatione rerum omnium, dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam divinaque ratione? Cic. de Natur. deor. II. 38.

Quid loco priori *titulus* sit, ex Ciceronis interpretatione intelligis; quid loco posteriore *affiditas* sibi velit, ex additamento; quid *rationes* cet. ex contextu. Sed eave credas hunc eundem contextum quasi novarum notionum esse parentem, cum earundem non nisi interpres sit.

§. 64.

Verba vero, quorum interpretatio maxima laborat difficultate, *homonyma* sunt et *synonyma*. Illa enim quam sint multiplicis significationis, (quia, quot rerum species in animo humano effinguntur, tot verba effingi nulla plane ratione possunt,) non difficile solum est plures hasce notiones addiscere, memoriaque tenere, sed earum etiam connexionem perspicere. Utrumque vero fieri videtur, si prima propriaque horum verborum significatio ita investigatur, ut ceterae facile inde queant deduci. Non dubium quidem est, quin prima plerorumque verborum notio aut plane perierit aut obsoleverit certe, sed hoc parum attinet, cum sub prima notione vocabuli ea intelligenda sit, a qua possint ceterae facilius derivari.

Duabus autem rebus haecce primae notionis investigatio niti videtur, *etymologia*, atque omnium unius verbi notionum inter se comparatione. Illa quidem verborum originem et quasi eorum natales ita investigat, ut, his repertis, omnis facile familia ceterarum significationum cognosci queat; haec vero, deficiente origine, philosophiam ducem sequitur, et, quo ordine animus humanus notiones cogitare soleat, hunc diligenter contuetur. Iam vero constat, ab hominibus res sensibus subiectas prius cogitari, quam quae mente tantum percipiuntur; hinc in comparandis notionibus ea prima habenda est, propriaque, quam a rebus sentiendis depromtam videmus.

At

At vero, quamquam grammatici est in interpretandis homonymis, ad eas, quae in res singulas cadunt, notiones redire; attamen in aliorum notionibus enumerandis eiusdem interdum erit, eam ipsam, quae *summaz a sensibusque remotissima* est, primam ponere: non quasi summa haec prima sit aut fuerit, quod esse haud potest, sed quia, cum prima propriaque plane ignoretur, ea prima nominanda est, a qua videntur ceterae facilius posse derivari. Quae omnia, quo magis pateant, non nullis exemplis illustrabimus.

Ambio ex ambi et eo. ambi vero idem ac Graec. *ἀμφὶ i. e. circa.* Hinc ambire est circumire, deinde ambiendo honores petere, ut ait Nonius 4. 21 quod circumire solerent homines et prensare (i. e. benigne manus ci-vium prehendere,) et sic rogare suffragia candidati. Plant. Amph. Proleg. 78. *virtute ambire oportet, non fautoribus.* Post blanditiis circumvenire. Virgil. Aen. 4. 283. Quo nunc reginam ambire furentem Audeat affatu? De-nique cupere. Tacit. Germ. 17. *ambire aliquam nuptiis.* Vid. Voss. p 22.

Calamitas a calamis deducta proprie est calamorum imminutio. Terent. Eun. 1. 1. 34. *ipsa egreditur, nostri fundi calamitas* cet. quem ad locum Donatus: *Proprie calamitatem rusticu grandinem dicunt, quod comminuat calamum h. e. calatum ac segetem.* Hinc Cic. Verr. 1. 44. Quocunque iter fecit, eiusmodi fuit, non ut legatus populi Romani, sed ut quaedam calamitas pervadere videretur. (Omnia quasi grandine ac procella proculata obtritaque indicat.) Deinde de infortunio et casu adverso. Cic. pro domo c. 32. *In omni vita nihil est ad laudem illustrius quam calamitas.* Post de gravi iactura. Nep. 20. 1. 4. *quam calamitatem ita moderate tulit* cet. (de caecitate lo-quitur.) Caef. B. G. 8. 20. *Quum victos tanta calamitate existimaret hostes.* (de proelio adverso.) Vid. Voss. p. 90.

Callere a callus, et callus a calx- (extremus pes) vel calco. ut proprie sit durities ea, quae eundo in calceo pedis contrahitur. vel durities, quae a calcando contrahitur pedibus. Postea significatio extensa ad manus et alias corporis partes. hinc *callere* proprie est *callis obductum esse,*

esse, et per metaphoram a corpore ad *animum* transfertur. Itaque *ii callere* dicuntur, qui usū vel ad patientum obdurere, vel ad agendum sunt habiliores. Sulpic. ad Cic. Fam. 4. 5. *In illis rebus animus exercitatus callere iam debet.* Apul. Florid. p. 358. *fidibus apprime callere.* Denique *probe scire, atque intelligere.* Terent. Adelph. 4. I. 17. *ego illius sensum pulchre calleo.* Cic. pro Cornel. Balb. 32. 14. *Ignosco tibi, si neque Poenorum iura calles.* V. Voss p. 95.

Infans ab in et fari puer est, qui nondum fari coepit. Plin. 28. 7. *removere infantem* i. e. a lacte depellere. Deinde *non facundum* significat sine aetatis respectu, et opponitur *diserto*. Cic. de Invent. 1. 3. Hinc proverbium: *infantior quan: meus est malio.* Varr. apud Nonium 1. 275. *Infantes statuae* apud Horat. Serm. 2. 5. 39. sunt statuae mutae.

Haec hactenus de prima vocabulorum origine, quatenus inde ceterae possunt significaciones derivari. Inter veteres hanc aleam tentarunt *Varro, Flaccus, Festus* et horum aliorumque compilator *Isidorus*, (de quibus v. Harleii brevior notitia litterat. Rom.) sed non adeo felices fuisse putantur, felicius *Gerh. Joh. Vossius* in *Ety-mologico L. L.*

Ex multis vero verbis, ut *praetor, consul* cet. facile intelliges, etiamsi tibi eorum origo, quam vel ex Roma-na vel ex Graeca vel ex alia quapiam lingua traxerint, sa-tis superque nota sit; non raro tamen, ut plane intelligantur, confugiendum tibi esse ad historiam, ad mythologiam, ad priscos ritus, ad id genus alia. Iam *paucā quaedam notionum inter se comparationis exempla* proferimus.

Angere proprie *strangulare* est, seu *fauces constringe-re*, unde *angina*. Virg. Aen. 8. 261. *guttur angere.* Deinde ad alias res translatum constringere et praefocare ge-neratim est. Colum. II. 3 45. *angitur vitis pluribus ra-dicibus inter se connexis.* Denique per metaphoram de *animo*. Cic. ad Att. 1. 15. *Multa sunt quae me sollicitant anguntque.*

Frigere h. e. *frigoro affici.* Terent. Phor. 5. 8. 5. *non frigent.* (pedes cet.) sed propria significacione rarius est. fere

fere metaphorice ponitur de his, quae parum calide, sine affectu et cupiditate tractantur. Terent. Eun. 4. 5. 6. *sine Cerere et Baccho friget Venus.* Cic. Att. 1. 14. *oratio frigebat.* i. e. sine plausu audiebatur. Cic. Q. Fr. 3. 8. *hic quidem friget.* i. e. fallitur, metam non attingit. Ut enim calor maxime efficax est, ita frigore omnia languescent atque effectu carent.

Persona facies facticia, qua utebantur actores scenici, accommodata ad aetatem ad vitae genus, ad mores eorum, quos referre debebant. hinc *metaphorice de specie fallaci ac simulatione.* Senec. Epist. 24. *Non hominibus tantum sed et rebus persona demenda est, et reddenda sua facies.* Reliquas significaciones vid. apud Gesner. et Scheller. de quibus paulo infra.

Reliquum est, ut de eo genere homonymorum dicamus, quorum *summam* notionem ponere *primam* satis videtur, quam quae *rem singulam* denotat. Quo enim notio superior, eo plura sibi subiecta habet. Inferiores vero notiones eae dicuntur, quibus non solum superior continetur, sed in quibus et peculiare quid inest. Itaque inferiorem explicare est superiori peculiare hoc addere. Vides, si quod eiusmodi homonymum occurrat, cuius summam illam notam scias, reliquum modo esse, ut eam addas, quam contextus requirat, notam. Verbi caussa:

Auctor est, (ut Gesnerus hanc vocem interpretabitur,) quisquis quocunque modo fecit *factive*, ut aliquid fiat, cui illud proinde imputari potest, sive illud sua quadam, ingeniosa praesertim opera efficerit, sive imperio, consilio, exemplo, consensu, defensione, laude et quocunque facto suo, ut alii facerent, haberentve aliquid, perfecerit. *Affeme ex efficientium naturaliter caussarum genere patres et scriptores librorum, et his adiunge, quidquid moralium caussarum enarrant philosophi, et complexus furris denique auctoris notionem.* Haec Gesn. Dicam brevius. Quisquis cuiuscunque rei aut propior exstat aut remotior caussa, is auctor nuncupatur. Id iam nonnullis exemplis firmemus. Cic. Divin. 12. 4. *Rumor erat — auctor erat nemo.* i. e. dici haud poterat, unde hic rumor ortus, quis illius *caussa* fuisset. Id. Off. 2. 2. *Quamquam in antiquis-*

tiquissima philosophia, Cratippo auctore versaris, i. e. praeciptore seu duce; vel Cratippus causa est tuarum in antiquissima philosophia opinionum. Id. Fin. 4. 16. *Cato omnium virtutum auctor, i. e. exemplar; vel virtutes exercere praecipit exemplo et ita causa est, aut esse creditur, ut ab aliis quoque exerceantur.* Id. Brut. 34. *auctor in senatu, et Orat. 1. 49. auctores consilii publici, qui causa sunt, ut aliqua res in senatu decernatur, hinc principes senatores.* Id. Flac. 22. *auctor suae civitatis, qui civitatem suam defendendo causa salutis fit.*

Eadem ratio est verborum *humanitas, dignitas* multorumque aliorum. Sed haec hactenus de homonymia, in qua in primis cavendum est, ne vocabula novis significationibus augere cupiamus.

§. 65.

Ad *Synonyma* progredimur. *Duo plurave vocabula aut plane aut fere eiusdem significationis, synonyma nuncupantur: quorum triplex genus cogitari potest.* Duo enim plurave verba aut ita comparata sunt, ut, quidquid notarum in uno, id idem in altero cogitetur; aut ita, ut differant quidem, sed notis tantum secundariis iisque tantae levitatis, ut nulla earum ratio habeatur; aut denique eiusmodi sunt, ut notas quidem communes habent, sed proprias etiam necessario respiciendas. de singulis breviter.

§. 66.

Primum synonymorum genus *esse posse* quid est tandem, quod repugnet? Cum enim verba arbitraria sint signa notionum nostrarum, consequens est, ut notio una pluribus verbis exprimi queat. Quod nisi esset, unam duntaxat linguam haberemus. Atqui ut pluribus verbis diversarum linguarum una res significatur; ita et pluribus verbis unius linguae exprimi potest. Id quidem, praesertim si linguae cuiusque originem spectaris, vel in parvulae gentis balbutiente lingua esse posse concedes. Idem eo verisimilius est, si qua lingua pluribus diversarum linguarum originem debeat. Quod ut illustreremus, originem quattuor particularum *et, ac, quo, atque* breviter

ter investigabimus. et *κατα μεταθεσιν* a te Graec. esse dicunt, ac per eandem figuram a *και*, que ab eodem *και*, atque vero ab *ας* et *και*. Quid hisce in particulis quatenus sunt copulativa, quid praeter simplicem *coniunctionis* notam cogitatur? plane nihil. Usus enim ille maxime e Cicerone depromtus (de quo vid. Horat. Tufselin.) nec auget nec minuit interiores harum particularum notas. Huc pertinet ille versus Plaut. Stich. art. 4. *More hoc sit, atque fluite, mea sententia.* nam *more* valet hic *μωρώς* i. e. *fluite*.

§. 67.

Fere eadem ratio est alterius Synonymorum generis. Etenim cum res singula quaevis innumeratas habeat notas, fieri potest, ut alii ab alia eiusdem rei nota nomen deducant, posteaque nulla notae huius ratione habita, plura eiusdem rei nomina promiscue usurpentur. Vides genus hoc Synonymorum esse superiori fatis confine; at vero illud tantummodo esse poterat, hoc non potest non esse. Incremento enim populo eiusque terra in provincias divisa, incrementum et lingua, atque in aliis provinciis alia eiusdem rei nomina oriuntur, quae mutuo transire solent: ut *oppidum, urbs*. Unde illud sit, indicat Varr. I. 4. de L. L. *Oppidum*, inquit, *ab ope dictum, quod munitur opis canfa, ubi sint; et quod opus est ad vitam gerendam, ubi habitent tuto; vel oppida, quod opere munitant moenia, quo munitius essent*. Unde *urbs* sit, ex eodem Varronis libro discitur; *oppida*, inquit, *quae prius erant circumducta aratro, ab orbe et urbo urbes*. Quibus verbis indicat, *vel urbem dici quasi orbem, quia in orbem fieret; vel ab urbo seu urvo, h. e. aratri curvatura*. Urbem enim condituri taurum et vaccam, futurae fecunditatis spe, iungere solebant, et oratro sulcum designabant; intra quem *urbem* aedificarent. — Sed haec utriusque vocabuli origo ipsi Varroni fatis incerta minus cogitabatur, hinc utraque vox promiscue occurrit. Cic. de Divin. I. 25. *Aristoteles scribit Eudemum Pheras venisse, quae erat urbs in Thessalia, tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur: in eo*

eo igitur oppido ita graviter aegrum Eudemum fuisse.
cet. Par ratio est multarum aliarum vocum.

§. 68.

Tertium denique Synonymorum genus latissime patet. Etenim permulta occurrunt vocabula, quae partim sunt synonyma, idque ob notas communes, partim differunt et hoc ob notas proprias et peculiares, quarum necessaria est ratio habenda. In iis interpretandis explicandisque grammatici est, omnes eorum inter se comparare notas, quaerere quae communes sint, quae propriae, attendere denique, quemadmodum scriptores antiquitatis his verbis commune quid atque confine habentibus fuerint usi, quemadmodum iam perspicuitatis iam ornatus caussa plura iuxterint pene idem significantia. cet. V. Quinet. 8. 3. Gell. 13. 23. Voss. Rhet. l. 5. p. 276. seqq. Operae pretium esse videtur, nonnulla eiusmodi vocabula ex Aufonii Popiae libris IV. de differentiis verborum transcribere; ille enim, quamquam omnibus numeris perfecta non sunt, quae commentatus est, tamen omnes alias, qui in eodem negotio versati sunt, multum superasse videtur.

Adolescens qui annos pueritiae reliquit, *iuvenis* qui adolescentis excessit aetatem. Varro ap. Censorin. de die natal. 14. quinque aetatis gradus aequabiliter putat esse divisos, secundo gradu ad tricesimum annum *adolescentes* esse dictos ab *adolescendo* i. e. *crescendo*; tertio usque ad quinque et quadraginta annos *iuvenes* appellatos, eo quod possent rem publicam in re militari *iuvare*. sed apud oratores et historicos promiscue. Cf. Manut. ad. Cic. Fam. 2. 1.

Agere ad corpus, vocem et mentem refertur; *facere* ad opera quae corpore efficiuntur; *gerere* est munieris et oneris. *Agit* is, cuius post actionem opus non exstat, ut saltator, cantor cet. *Facit* is, cuius opus remanet, ut scriptor, pictor cet. *Gerit* denique dux et magistratus aut curator. Interdum agere et facere promiscue per translationem.

Ambo de duobus dicitur, qui uno tempore aut simul quid faciunt, ut Cicero et Antonius ambo consules

les fuerunt, i. e. consulatum una gesserunt: uterque de iis, qui diverso tempore et separatim, ut Cato et Cicero uterque fuit orator, qui diversis temporibus vixerunt. sic in senatus consultis addi solehat: consules alter ambove. Cic. in Philip. 8. uterque proprio hunc et illum designat.

Animantia superiorem tenent locum quam *animalia*, haec enim sensu moventur ut homines et bestiae, illa vivunt et vident, ut arbores, herbae et sata. Varr. L. 6. de L. L. *Proxima animalibus sunt ea, quae vivere dicuntur, neque habere animam, ut virgultæ.*

Artus dicuntur partes corporis inter iuncturas, continentque ossa cum nervis et venis. *Membra* proprie sunt *caro et pellis*, quae artus tegunt. sed interdum membra generaliter etiam *artus et viscera* appellantur.

Bestiae et ferae generaliter dicuntur omnes animantes rationis expertes; sive natura ferociant, ut *leones, tigrides*; sive mediae inter feritatem et placiditatem naturae sunt, ut *hirundines, apes, columbae*; sive mansuetae sunt, ut *equi, canes* cet. *Belluae* vero sunt magnitudine excellentes ferae, ut *elephantii* cet.

Bene vivit, qui honeste et cum virtute; *beate*, qui vivit quoque iucunde et feliciter.

Campus planities agrorum et pratorum est; *ager* ipsum subiectum; *rus* omnis locus extra urbem.

Capillus capitidis in primis pilum significat paulo longorem; *coma* vero sunt capilli cum cura compositi; *crinis* denique brevis est et innexus, discretusque vittis.

Cernere plus est quam videre, nam *cernere* est formas atque imagines rerum visa internoscere, et si ad animum confertur, *animadvertere* atque *attendere*; usus tamen haec confundit.

Coniuratio iureiurando firmatur, ut illa Catilinae in rem publ. *conspiratio* sit solo consensu, ut illa in Cæfaris necem. pro ipsa *coniuratione* a Cicerone usurpatur.

Crimen fraus est capitalis, qua respubl. laeditur, ut *caedes*; *delictum* vero privata noxia, qua privatim quisque laeditur, ut *furtum*.

Dedimus

Dedimus hostibus, amicis damus. deinde dedere est ad perpetuum, dare est, quod repetas.

Diligentia in diligendo vel discernendo versatur et ingenii est atque iudicii; *industria* in agendo, et laboris atque operae est; *cura* denique anxium reddit animum.

Donamus modice et nostra et plerumque praemii gratia; largimur profuse et aliena.

Effigies ab *imagine* ita differt, ut species a genere. Nam *imago* omnem similitudinem comprehendit, tam pictam quam fictam; *effigies* autem est, quae singitur, non quae pingitur, ab effingendo dicta. Itaque *effigies* omnes sunt *imagines*, non contra.

Exemplum proponitur, ut sequamur aut vitemus; *exemplar* est ex quo similis efficitur aliqua species, quae et *imago*, *simulacrum* dicitur. Illud animo aestimatur, hoc oculis conspicitur. Plin. 6. epistol. *Comoediam ad exemplum veteris comoediae scriptam tam bene, ut esse quandoque posse exemplar.*

Facinus vi aut malitia committitur, *flagitium* libidine vel nequitia. Unde *flagitosi* dicuntur impudici, adulteri, ganeones, aleatores; *facinorosi* parricidae, sacerdii, sacrilegi, periuri atque id genus alii. *scelus* utrumque comprehendit. Cic. in Catil. 1. Quod facinus a manibus unquam tuis, quod flagitium a toto corpore absuit. *flagitium semper turpe, facinus interdum bonum.*

Fama est communis quaedam ac consentiens opinio et tanquam publicum civitatis testimonium; *rumor* sermo quidam sine ullo certo auctore dispersus.

Ferre et *portare* saepe synonyma, proprie autem illud est corpore suo baulare, hoc carru aut iumento secum ducere. Quodsi homo portare quid dicitur, cum iumento comparatur. Interdum vero *portare* generalius accipitur pro *ferre*, adducere, vehere. Sallust. in Jug. Quas paraverat copias, secum portat.

Flerc est dolorem lacrymis testari; quod cum sit effusus, *lacrymare* dicitur; voce denique flebili et quare dolorem ostendere *plorare* est. Hinc Enn. in Annal. *Flentes, plorantes, lacrymantes ac miserantes.*

Gaudium

Gaudium est affectio animi modeste et constanter se efferentis; *laetitia* vero est exaltatio quaedam animi effuse elati, eventu rerum expetitarum. Hinc dicunt Stoici, *gaudium* in sapientem cadere, *laetitiam* non posse. Cic. 4. Tuscul. Quaest. Atque ut confidere decet, timere non decet; sic quidem gaudere decet, laetari non decet: quoniam docendi causa a gaudio laetitiam distinguimus.

Grammaticus et grammatica differunt. Sueton. de clar. Grammaticis: Sunt, inquit, qui litteratum a litteratore ita distinguunt, ut Graeci grammaticum a grammatica, et illum quidem absolute, hunc mediocriter dictum aestimant.

Grandis ad partem aetatis pertinet, et idem est, ac crescendo factus magnus, ut *grandis* natu; *maior* generaliter et ad summam aetatis refertur. Ponitur etiam ad comparationem aetatis. *Grande* incremento; *magnum* amplitudine.

Habes rem five iure dominii five quo alio modo. *Possidere* est pro domino uti, et filius domini est ac liberi, qui utitur re sua et iure possessionis fruitur. *Tenere* est corpore possessioni insistere, licet ius possidendi non competit. *Habere* generalius est.

Heros vir illustris et divinus, etiam de vivis; *divus* de mortuo dicitur. sunt enim divi, qui ex hominibus fiunt, non tamen antequam extremum vitae diem morte confecerint.

Humatus intelligitur humo contextus; *sepultus* quoquo modo conditus, ut qui in sarcophago, hypogaeo, vel pyramide situs est. Cic. de Leg. 2. Quod nunc communiter in omnibus sepultis ponitur, ut *humati* dicantur, id erat proprium tum de his, quos humus injecta contegeret.

Ignavia est tarditas in exsequendis negotiis; *pigritia* in aggrediendis; *inertia* agendi inscientia est. Cic. offic. l. 1.

Ignorare est non satis cognitum et exploratum habere; *nescire* omnino non scire. *Ignoro* aliquid, *nescio* prorsus cuncta. Alterum imprudentis est aut negligentis, alterum inscientis et imperiti.

Impe.

Imperare est onus imponere, ut apud Sallust. *imperavit frumentum* cet. *Iubere* est velle aliquid fieri necessario, quod ad dignitatem et utilitatem alterius pertineat, ut apud Liv. *bellum populus iussit* cet.

Inchoat qui incertum facit; *incipit*, cuius exitum sperat.

Interrogare est resellendi atque arguendi caussa quaerere; *percontari* noscendi.

Irasci levius; *succensere* gravius; *indignari*, graviter ferre.

Iucundum est dulce et specialius, *gratum* est acceptum et generalius. Omne iucundum est gratum, sed non omne gratum est iucundum. *Grata* est aegro medecina, verum iniucunda.

Liber significat quemcunque codicem, magnum aut parvum. *volumen* proprie est plurium paginarum chartarumve involutio. est enim ab *involvendo*, inde *evolvere libros*. Interdum haec vocabula nulla re differunt et duplarem significationem habent. *Liber* enim et certam operis partem et totum opus denotat.

Litus maris est, *ripa* fluminis. Non ita semper apud poetas.

Lucus est ut plurimum incaeduis religiosusque; *nemus* voluptatis caussa comparatum est et plerumque diis sacrum; *sylva* nomen generale est; *saltus* dicitur locus seclusus, ubi paseuntur armenta, feraeque versantur.

Mamiae sunt hominis, pecudis vero *ubera*.

Manubiae significant ornamenta hostibus ademta (quae manu ferri possunt,) et pecuniam inde redactam; *praedae* autem nomine continentur omnia spolia ab hostibus capta. Alias *manubiae* sunt pecunia ex venditione spoliorum contracta, *praeda* vero corpora ipsa rerum ab hostibus capta, donec non sunt divisa aut divendita.

Mos est *institutum* consuetudine firmatum; *ritus* autem ordo et modus est in administrandis maxime sacrificiis. Interdum *ritus* pro more ac *instituto* usurpatur. Cic. in Lael. *pecudum ritu*.

Murus est urbis aut munitionum; *paries* domorum. Ille publicus et inviolabilis, hic privatus. Interdum *murus* privati aedificii, sed *exterior*, *paries* est *interior*.

Nomen

Nomen est, quod quisque proprium et certum habet, ut Cicero, Roma; vocabulum est, cuius significatio est communis, ut homo urbs. Varr. L 9. de L. L. Non enim idem oppidum et Roma, cum oppidum sit vocabulum, Roma nomen.

Nothus appellatur, qui ex concubina, non ex uxore legitima natus est, sed patrem certum habet; spurius autem, qui patrem demonstrare non potest, vel qui potest quidem, sed eum habet, quem habere non licet.

Novum ad rem, recens ad tempus pertinet. Cic. lex recens et nova.

*Obsecrare et obtestari maiorem vim habent quam orare et rogare. Obsecrare est quasi ob sacra et res carissimas postulare; obtestari est precari cum mentione rerum, per quas petimus, ut per deos; orare est, cum veneratione petere; rogare cum precibus supplicare. Caeferum *oro* plus est quam *rogo*; *obsecro* plus quam *oro*; *obtestor* plus quam *obsecro*.*

Omnis ad quantitatem discretam seu ad numerum resertur; totus ad continuam eiusque partes. Differentia haec interdum non observatur.

Onerato onus qualcunque est impositum; onus ipsum honori est.

Osculum est officii, ut cum advenientes vel discendentes salutamus, deinde religionis. Tibull. l. 1. Eleg. 2. v. 88. dare sacratis oscula liminibus. sed suavium est amoris; basia pudicorum affectum.

*Patens est, quod ad tempus patet, ut *ianuae*, *oculi*; *patulum* quod semper et naturaliter patet, ut *nares*; *bos patulus*, qui cornua diversa et late distantia habet. Plaut.*

Peccat, qui, quod debuit, fecit, sed non recte; delinquit proprie, qui fecit, quod non debuit.

*Pernicitas est celeritas, quae cum *nisi* tendit, ut in avibus; *velocitas* corporis est et pedum agilitas, levitasque; *celeritas* et corporis et animi est.*

Plagae virgis infliguntur, verbera fustibus, colaphis, ferulis, flagellis.

Postulatur aliquid honeste, et iure; poscitur improbe, et imperiose.

Pro-

Prohibere est impedire dictis factisque; *vetare*, dictis resistere.

Quidam notat rem certam; *quispiam*, vel aliquis, incertam et vagam.

Quotidie tempus continuatum significat; *in dies singulos*, interruptum. Cic. ad Att. *Quotidie*, vel potius *in dies singulos breviores litteras ad te mitto*.

Relinquimus lubentes; *deserimus* invititi.

Reperio non quaeſitum; *invenio* quaeſitum.

Restituitur nobis, cuius nos cupidū sumus; *redditur* nobis, quod nostri cupidum est.

Sacrum est, quod publica auctoritate deo rite consecratum est, ut *sacri luci*, montes, *sacra templa*, *ornamenta*, certamina, quae publico civitatis instituto deo dicata fuerunt; *sanctum* est, quod sanctione quadam et praeceptio firmatum et ab iniuria hominum munatum est, eti si non sit deo consecratum, ut *sancti muri* et *portae*, quae sine nefario scelere non violentur, *sancti legati*, quibus noceri non debet, *sanctae leges*, quae certam poenam constitunt, et sancti in eos, qui praecepsis legum non obtemperaverint. *Religiosum* est, quod a communi hominum usu semotum et sanctitate quadam reverendum est, ut *religiosa sepultura*, *monumenta*, in quae mortuus illatus est. Ita *sacrum* est divinum et deo dicatum; *sanctum* incorruptum et inviolatum; *religiosum* venerandum. Et *sacra* et *sancta* religionem habent publicam, *religiosa* vero privatam, ut sepulchra et monumenta, quae olim cuilibet privata auctoritate constituere permittebantur, et publica religione carebant. Praeterea *sancta* et *religiosa* tam animata sunt quam inanima: Eſi Liv. 3. Quibus ipſi dii neque sacri neque sancti sunt, et Ovid. Amor. 3. At *sacri vates* et *diuam cura vocamur*. Nam utrique inpropre *sacri* dicuntur, alteri, quia *sacra* ipſis offeruntur, alteri qui *sacra* ferunt, quasi sacerdotes. Interdum tamen haec tria proportione quadam et similitudine eadem sunt, ut *tempa*, *altaria* eadem et *sacra*, quia diis dicata, et *sancta*, quod ea violare nefas sit, et *religiosa*, quoniam ab usu hominum remota.

D

Salubre

Salubre ad locum refertur et ad cibum, *salutare* ad consilium.

Sanguis est, dum manat in venis; *effusus de corpore, crux* dicitur.

Splendet artificio, ut aurum; fulget natura, ut sol.

Temerarius sine salutis respectu sese obiicit periculis et sine consilio; *audax* post consilium.

Terminus manu ponitur et proprius est, ubi aliquid incipit; *finis* vero generale est.

Tollere est levare et erigere; *auferre*, levatum transferre.

Vanus etiam sine utilitate mentitur, *mendax* ad decipiendum et ad utilitatem.

Verbum est dictio articulata et significabilis; *vox* quilibet sonus ore prolatus.

Vindicta factum punit, vel faturum prohibet, atque propulsat; *ultio* persequitur contumeliam, vel iniuriam illatam, vel damnum datum. Et vindicta *legitima* etiam est et ad *magistratus* pertinet; *ultio* aliorum quorumlibet est.

Una coniunctionem loci; *similis* coniunctionem temporis notat.

Volucris generale est, ut *apis, musca, avis* specialius.

Et sic innumera alia, quae longum est recensere. Quo magis vero iuvenes litterarum Romanarum studiosi hasce verborum differentias attendant, easque ipsi attentent; nudam adhuc nonnullorum eiusmodi vocabulorum mentionem faciam.

Absolvere, perficere. Accensus, praeco. Accidere, contingere, evenire. Acclamatio, plausus. Acervus, strues, strages, congeries, cumulus. Acta, gesta. Ad, apud. Adfinitas, cognatio, propinquitas, agnatus. Accola, incola, indigena, inquilinus. Adulari, affentari, blandiri. Aedes, domus, Aedes sacra, templum. Aerarium, fiscus. Albus, candidus. Aliquis, quispiam, ullus. Altare, ara. Alvus, uterus, venter. Amens, demens. Amicitia, familiaritas. Amittere, perdere. Amor, charitas. Anguis, serpens, colubris, draco. Antiquus, vetus. Aptus, idoneus. Apud, penes.

nes. Arbiter, iudex. Aries, vexillum. Armentum, gressus. Arrogans, superbus. Arteriae, venae. Asserere, affirmare. Audax, audens, fortis, temerarius. Audire, auscultare. Ave, salve. Auferre, adimere, eripere.

Balbus, blaesus. Balneum et balnea plur. numerum vel potius balneae. Barba, barbae plur. numerum. Bibere, potare. Bustum, ustrinum.

Caballus, equus. Caelatura, sculptura. Camuri boves, patuli, licivi. Cano, psallo. Castigo, punio. Castus, pudicus. Caupo, hospes. Caussa, res. Characta, papyrus, membrana. Clypeus, clypeum, scutum. Colaphus, alapa. Collegae, confortes, socii. Columbae, palumbes. Comitia, conventus, concilia. Commisceri, confundi. Communis, publicus. Conciliabulum, forum. Confidentialia, fiducia. Conscius, sciens. Consecrare, dedicare. Consuetudo, mos. Consulta, decreta. Contemnere, despicere, spernere. Corium, pellis, cutis. Corona, ferrum. Corrigere, emendare. Cultus, ornatus. Custodia, vincula.

Damnum, detrimentum. Dapes, epulæ. Delictum, peccatum. Delubrum, templum, sanum. Deportatus, relegatus. Deterior, peior. Dicere, ferre sententiam. Disertus, eloquens. Dives, opulentus. Doctus, eruditus, litteratus. Dolor, moeror. Donum, munus. Dux, imperator.

Ebrius, ebriosus. Ecce, enim. Egestas, inopia, paupertas. Emolumentum, utilitas. Errare, vagari. Eventus, exitus. Excubiae, vigiliae. Exercitus, agmen. Exspecto, spero. Explorator, speculator.

Falsus, vanus, fictus. Familia, gens. Familiaritas, necessitudo, sodalitas. Famulus, servus. Fas, ius. Fatigatus, fessus, lassus. Felix, fortunatus. Festinare, properare, maturare, celerare. Fides, fidelitas. Flagitare, postulare. Flumen, fluvius. Fratres, germani. Fruges, frumentum. Furiosus, insanus. Fuscus, niger.

Generale, universale. Genero, pario, gigno. Genitrix, mater. Gens, natio. Gustare, sapere. Gena, mala.

Habitus, vestitus. Hostia, victima. Humanitas, litterae. Humidus, macidus, uvidus.

Ianua, ostium, fores, valvae. Ignoscere, concedere. Imus, insimus. Industrius, navus. Inscius, neescius. Interire, perire. Intueri, contemplari, speculari, adspicere. Invenire, reperire. Iter, semita, via, Iurgium, lis.

Lacus, palus, stagnum. Laetus, hilaris. Lapis, saxum. Lares, Penates. Libertus, libertinus. Limatus, politus. Litare, sacrificare. Lituus, tuba. Lues, pestis.

Magistratus, potestas. Metuo, timeo. Monstrum, prodigium, ostentum, portentum. Mors, interitus, nex, caedes. Multa, poena.

Navigium, navis, rates. Nefas, impietas. Nunziare, denunciare, obnunciare, annunciare. Natarc, nictare.

Obedio, obsequor. Odium, simultas. Omen, auspicium, augurium. Oratio, sermo. Ovare, triumphare.

Pagus, vicus. Paene, fere. Percussum, percussus. Poscere, postulare. Pirata, praedo. Plenus, refertus. Poësis, poëma. Polliceri, promittere. Populus, plebs. Portare, ferre. Portus, statio. Posse, valere. Proelium, pugna. Praes, vas. Priores, primores. Promittere, spondere, recipere, polliceri.

Querimonia, querela. Quis, quisquis, qui. Quot, quantum.

Racemus, uva. Rapere, invadere. Reddere, restituere. Regius, regalis.

Saevis, crudelis, tristis, truculentus. Sales, iocus. Saltare, tripudiare. Satiatus, saturatus. Securus, tutus. Scintilla, favilla. Segnitia, socordia. Sermo, loquela. Sidus, stella. Signum, statua. Signa militaria, vexilla. Silere, tacere. Solus, unus, unicus. Sponte, ultro. Stimulare, excitare. Sylva, saltus, luens.

Templum, delubrum. Tergum, dorsum, tergus. Tributum, vectigal. Turpis, foedus, nefarius.

Valgus, vatus, varus. Velut, uti, quasi, tanquam, ceu. Venustas, dignitas. Vereor, metuo. Vetus, antiquus. Viaticum, vasarium. Videre, visere. Vis, potestas. Usu venit, accidit, contingit.

De

De synonymis scripsierunt Andr. Catagius; Matthaeus Cerdio; Hieron Cingularius; Basil. Faber de Rentianis; Steph. Ubelius et Steph. Fliscus de Ciceronianis; Sim. Pelegrovius; Joh. Ravissius; Ringelbergius; Francisc. Serra; Joh. Serranus.

§. 69.

Huc pertinet quoque *particularum significatio*, in quibus tirones maxime labi solent, et maxima quidem corruptela regnat circa usum coniunctionum *cum*, *quod* et *ut*, de quibus infra. Praeclarus de particulis Latinis exstat libellus *Horat. Tursellini*, accessionibus locupletatus a Thomasio, a Schwarziō, et Ernestio.

SECTIO III.

P E S Y N T A X I.

§. 70.

Quidquid hucusque exposuimus, singula spectabat vocabula, iam ad eorundem compositionem progredimur. Iusta vero partium inter se compositio *syntaxis* nuncupatur, ab auctore ad Heren 4. *constructio*, a Cicerone init. partit. *consecutio*, ab aliis *structura vocum*, ab aliis aliter.

Multi grammaticae artis praecepta tradiderunt. Veteres quidem, quos inter eminet *Varro*, maximam partem tractant *etymologiam*. Eorum integros tractatus reliquiasque colligerunt *Elias Putschius*, *Dionys. Gothofredus*, *Joan. Theodor. Bellovacus*, et anchymus quidam, *Baileae* 1727. 8.

Recentiorum Grammaticorum brevem historiam dedit *D. F. Janus*, ubiorem *Wowerius* et *Fabricius*. *B. L. Vol. I. p. 781—798.*

Horum praecipui sunt *C. Lancilottus*, *J. C. Scaliger*, *Alvarus*, *Sanctius* eiusque commentatores *Scoppius*,

pius, Perizonius et Bauerus, G. Vossius, Battéus, Ur-
mus, his adde Grammaticam Marchicam.

Solet vero syntaxis dividī cum in *naturalem* et *ar-*
bitrariam, tum in *regularēm* et *irregularēm*.

§. 71.

Syntaxis *naturalis* est, quae manifestam aliquam ne-
cessariamque habet rationem, atque est in omnibus
linguis paene eadem. Huc pertinet concordia verbi fini-
ti cum antecedente nominativo; rectio substantivi a
substantivo, accusativi a verbo activo cet. *Arbitraria*
est, quae aut nullam habet rationem, nisi auctorum lin-
guae alicuius arbitrium; aut certe occultam, proque lin-
guarum varietate variat. Ita ab arbitrio esse videtur,
quod in l. l. accusativus est suppositum verbi infiniti,
quod praepositiones aliae alium adsciscunt casum cet.

§. 72.

Ex syntaxi utrinque generis syntaxis *regularis* ori-
tur, quae est compositio partium orationis inter se re-
gulis grammaticae communibus consentanea; compo-
sitione vero, quae quidem in scriptoribus alias probe lo-
quentibus occurrit, sed a regulis artis dissidet, *irregu-*
laris appellatur, seu *figurata*.

Syntaxis *regularis* aut *convenientiae* est aut *rectio-*
nis; in illa partes orationis ad *eandem* rem et perso-
nam referuntur, in hac ad *diversas* res personasque.
Hinc utrumque constructionis genus *relatio* quaedam
est.

Convenientia vero aut nominis cum nomine est,
aut nominis cum verbo, aut particulæ cum utroque;
eodemque modo rectio est aut nominis, aut verbi,
aut particulæ. Qua in syntaxi cum tirones maxime
labi soleant, non graviora modo, sed multa quoque
vulgaria trademus.

J. DE

1. De convenientia partium orationis.

§. 73.

Convenientia substantivi et adiectivi.

Nomina et pronomina adiectiva, item participia cum substantivis convenient eodem genere, numero et casu. res nota. sed v. Sanctii Miner. p. 55. 56. 160.

¶.

Saepe conciso sermonis genere substantiva omituntur, ut *reus repetundarum*, i. pecuniarum; *civica donari*, i. corona; in *XII.* i. tabulis; in *XIV.* *sedere*, i. ordinibus; in *Tusculano*, i. praedio; *Circensibus*, i. ludis; *primas tenere*, i. partes; *de meo*, i. aere. cet.

2.

Adiectiva interdum substantive sumuntur; ut *Amicus certus* cet. *Enn.*, *fortunatus senex*. *Virgil.* *omnia orta occidunt*, *Sallust.* Ita *superi*; *inferi*; *mei*; *tui*; cet. In eiusmodi adiectivis substantivum latet, ut in *amicus vir*, in *senex homo*.

3.

Frequens in primis est usus adiectivorum in genere neutro more Graecorum absolute usurpatorum, ut *bignum*, *malum*, *verum*, *publicum* cet. unde *egregium publicum*, *malum domesticum*.

4.

Eiusmodi adiectiva neutrius generis interdum cum substantivis feminipi aut masculini coniunguntur. *Mors omnium rerum extremum*. *Commune omnium animantium est coniunctionis appetitus*. *Cic.* Est in eiusmodi neutrīs ellipsis vocum *negotium*, *quid*, *aliquid*, *quiddam* cet. ut Graeci *Xenopus* intelligunt. *Altum quiddam est virtus*, *Senec.*

5.

Superlativus, partitionem significans, genere plurimque convenit cum antecedente substantivo: ut *Indus*

dus omnium fluminum maximus. Cic. *Modus omnium rerum utilissimus.* Terent. *Vilosissimus animalium lepus.* Plin. Interdum tamen respondet etiam generi genitivi pluralis. ut *Ego sum rerum non ultima tuarum.* Ovid.

6.

Participium *passivum* inter duo substantiva diversi generis cum *subjecto* convenit. *Tullia homo nata est.* Cic. Sed *dictus, dicendus, appellatus, creditus, visus* cum proximo substantivo, quod non est *subjectum*, convenire solent. Non *omnis error stultitia dicenda.* Cic. Sed Justin. 2. 4. *Semiramis puer credita est.* et de personis vix aliter.

7.

Interdum substantivo *plura* adiectiva sine copula dantur: ut *mea omnia summa in te beneficia.* Cic. *Externos multos claros viros nominarem.* Id. Fit hoc in prosa, cum sententia ipsa *geminari* adiectiva exigit, alter apud poetas. Nonnullis in locis asyndeton statui possit, ut in *deus optimus maximus; argentum purum putum* cet.

8.

Interdum duo plurave adiectiva per *et* coniuncta singularis numeri substantivo plurali adduntur, quoniam *diversae* res aut personae denotantur, unde legitur: *Latina et Graeca linguae.*

§. 74.

Haec hactenus de concordia adiectivorum cum *uno* substantivo. Multo vero incertior atque instabilior concordia adiectivi cum duobus pluribusve substantivis. Namque hac in re, cum tot huius concordiae varietares esse queant, ne prisci quidem consensisse sibi videntur. Hoc itaque loco exhibeo tantum divisionis principia, nonnullaque exempla addam, ex quibus, si attenderis, facile intelliges, hunc grammatices locum magna adhuc obscuritate laborare.

In convenientia igitur adiectivi cum duobus pluribusve substantivis, substantiva haec aut *animantia sunt,*

sunt, aut inanimantia, aut animantia et inanimantia simul: deinde aut eiusdem generis aut diversi; deinde aut eiusdem numeri aut diversi: substantivum denique ultimum (vel quoque proximum, nam et eo, quod proximum est, convenientia nititur,) aut animans aut inanimans est; idque aut masculini aut feminini aut neutrius generis; depique aut singularis numeri aut pluralis.

Hicce divisionis principiis centum nonaginta et duae varietates concordiae adiectivi cum duobus pluribusve substantivis nituntur.

Cuius quidem rei ut brevem conspectum exhibere possumus, his scripturae compendiis utemur. Significabit

A. Animantia.	DN. diversi numeri.
I. inanimantia.	S. singularis.
EG. eiusdem generis,	P. pluralis.
DG. diversi generis.	EQNS. eiusdemque numeri singularis.
M. masculini.	EQNP. eiusdemque numeri pluralis.
F. feminini.	
N. neutrius.	UVE. ultimaque vox est.
EN. eiusdem numeri.	

Duo itaque plurave substantiva esse possunt

A.

AUT ANIMANTIA.

I. EG. EQNS. hinc	{ 1. vel M. 2. vel F. 3. vel N.
II. EI. EQNP. hinc	{ 4. vel M. 5. vel F. 6. vel N.
III. EG. et DN. hinc	{ vel M. UVE. { 7. vel S. { 8. vel P. { 9. vel S. { 10. vel P. { 11. vel S. { 12. vel P.

IV.

IV. DG. EQNS. hinc	vel M. F. N. UVE.	{ 13. M. 14. F. 15. N.
	vel M. F.	— { 16. M. 17. F.
	vel M. N.	— { 18. M. 19. N.
	F. N.	— { 20. F. 21. N.
V. DG. EQNP. hinc	vel M. F. N. UVE.	{ 22. vel M. 23. vel F. 24. vel. N.
	vel M. F.	— { 25. vel M. 26. vel F.
	vel M. N.	— { 27. vel M. 28. vel N.
	vel F. N.	— { 29. vel F. 30. vel N.
VI. DG. et DN. hinc	vel M. F. N. UVE.	{ M. { 31. vel S. 32. — P.
	vel M. F.	— { F. { 33. — S. 34. — P.
	vel M. N.	— { N. { 35. — S. 36. — P.
	vel F. N.	— { M. { 37. — S. 38. — P.
		— { F. { 39. — S. 40. — P.
		— { M. { 41. — S. 42. — P.
		— { N. { 43. — S. 44. — P.
		— { F. { 45. — S. 46. — P.
		— { N. { 47. — S. 48. — P.

B.

B.

AUT INANIMANTIA.

VII. EG. EQNS. hinc { 49. vel M.
 50. — F.
 51. — N.

VIII. EG. EQNP. hinc { 52. vel M.
 53. — F.
 54. — N.

IX. EG. et DN. hinc {
 vel M. UVE. { 55. vel S.
 56. — P.
 — F. — { 57. — S.
 58. — P.
 — N. — { 59. — S.
 60. — P.

X. DG. EQNS. hinc {
 vel M. F. N. UVE. { 61. vel M.
 62. — F.
 63. — N.
 — M. F. — { 64. — M.
 65. — F.
 — M. N. — { 66. — M.
 67. — N.
 — F. N. — { 68. — F.
 69. — N.

XI. DG. EQNP. hinc {
 vel M. F. N. UVE. { 70. vel M.
 71. — F.
 72. — N.
 — M. F. — { 73. — M.
 74. — F.
 — M. N. — { 75. — M.
 76. — N.
 — F. N. — { 77. — F.
 78. — N.

XII. DG. et DN. hinc	vel M. F. N. UVE.	vel M. $\begin{cases} \text{§ 79. vel S.} \\ \text{§ 80. — P.} \end{cases}$ — F. $\begin{cases} \text{§ 81. — S.} \\ \text{§ 82. — P.} \end{cases}$ — N. $\begin{cases} \text{§ 83. — S.} \\ \text{§ 84. — P.} \end{cases}$ — M. F. — M. N. — F. N.	— M. $\begin{cases} \text{§ 85. — S.} \\ \text{§ 86. — P.} \end{cases}$ — F. $\begin{cases} \text{§ 87. — S.} \\ \text{§ 88. — P.} \end{cases}$ — M. $\begin{cases} \text{§ 89. — S.} \\ \text{§ 90. — P.} \end{cases}$ — N. $\begin{cases} \text{§ 91. — S.} \\ \text{§ 92. — P.} \end{cases}$ — F. $\begin{cases} \text{§ 93. — S.} \\ \text{§ 94. — P.} \end{cases}$ — N. $\begin{cases} \text{§ 95. — S.} \\ \text{§ 96. — P.} \end{cases}$

C.

AUT ANIMANTIA ET INANIMANTIA.

XIII. EG. EQNS. hinc	vel M. UVE.	vel A. $\begin{cases} \text{§ 97. vel A.} \\ \text{§ 98. — I.} \end{cases}$ — F. — $\begin{cases} \text{§ 99. — A.} \\ \text{§ 100. — I.} \end{cases}$ — N. — $\begin{cases} \text{§ 101. — A.} \\ \text{§ 102. — I.} \end{cases}$

XIV. EG. EQNP. hinc	vel M. UVE.	vel A. $\begin{cases} \text{§ 103. vel A.} \\ \text{§ 104. — I.} \end{cases}$ — F. — $\begin{cases} \text{§ 105. — A.} \\ \text{§ 106. — I.} \end{cases}$ — N. — $\begin{cases} \text{§ 107. — A.} \\ \text{§ 108. — I.} \end{cases}$

XV.

XV.	EG. et DN. hinc	$\left\{ \begin{array}{l} \text{vel M. UVE.} \\ \text{— F.} \\ \text{— N.} \end{array} \right.$	$\left\{ \begin{array}{l} \text{— A.} \\ \text{— I.} \end{array} \right.$	vel A. { 109. — S.
				{ 110. — P.
				— I. { 111. — S.
				{ 112. — P.
XVI.	DG. EQNS. hinc	$\left\{ \begin{array}{l} \text{vel M. F. N. UVE.} \\ \text{— M. F.} \\ \text{— M. N.} \\ \text{— F. N.} \end{array} \right.$	$\left\{ \begin{array}{l} \text{— A.} \\ \text{— I.} \end{array} \right.$	— A. { 113. — S.
				{ 114. — P.
				— I. { 115. — S.
				{ 116. — P.
		$\left\{ \begin{array}{l} \text{— A.} \\ \text{— I.} \end{array} \right.$	$\left\{ \begin{array}{l} \text{— A.} \\ \text{— I.} \end{array} \right.$	— A. { 117. — S.
				{ 118. — P.
				— I. { 119. — S.
				{ 120. — P.
		$\left\{ \begin{array}{l} \text{vel M. F. N. UVE.} \\ \text{— M. F.} \\ \text{— M. N.} \\ \text{— F. N.} \end{array} \right.$	$\left\{ \begin{array}{l} \text{— M.} \\ \text{— F.} \\ \text{— M.} \\ \text{— F.} \end{array} \right.$	vel M. { 121. — A.
				{ 122. — I.
				— F. { 123. — A.
				{ 124. — I.
				— N. { 125. — A.
				{ 126. — I.
				— M. { 127. — A.
				{ 128. — I.
XVII.		$\left\{ \begin{array}{l} \text{— F.} \\ \text{— M.} \end{array} \right.$	$\left\{ \begin{array}{l} \text{— A.} \\ \text{— I.} \end{array} \right.$	— F. { 129. — A.
				{ 130. — I.
				— M. { 131. — A.
				{ 132. — I.
		$\left\{ \begin{array}{l} \text{— F.} \\ \text{— M.} \end{array} \right.$	$\left\{ \begin{array}{l} \text{— A.} \\ \text{— I.} \end{array} \right.$	— N. { 133. — A.
				{ 134. — I.
				— F. { 135. — A.
				{ 136. — I.
		$\left\{ \begin{array}{l} \text{— F.} \\ \text{— M.} \end{array} \right.$	$\left\{ \begin{array}{l} \text{— A.} \\ \text{— I.} \end{array} \right.$	— N. { 137. — A.
				{ 138. — I.

vel M. F. N. UVE.	— M. F. —	vel M. { 139. A. 140. I.
		— F. { 141. A. 142. I.
		— N. { 143. A. 144. I.
		— M. { 145. A. 146. I.
XVII. EG. EQNP. hinc	— M. N. —	— F. { 147. A. 148. I.
		— M. { 149. A. 150. I.
		— N. { 151. A. 152. I.
		— F. { 153. A. 154. I.
XVIII.	— F. N. —	— N. { 155. A. 156. I.

XVIII.
DG. et
DN.
hinc

vel M. F. N. UVE.	vel M.	— A.	§ 157. — S.
		— I.	§ 158. — P.
	— F.	— A.	§ 159. — S.
		— I.	§ 160. — P.
	— N.	— A.	§ 161. — S.
		— I.	§ 162. — P.
	— M. F.	— A.	§ 163. — S.
		— I.	§ 164. — P.
	— M. N.	— A.	§ 165. — S.
		— I.	§ 166. — P.
	— F. N.	— A.	§ 167. — S.
		— I.	§ 168. — P.
	— M.	— A.	§ 169. — S.
		— I.	§ 170. — P.
	— F.	— A.	§ 171. — S.
		— I.	§ 172. — P.
	— M.	— A.	§ 173. — S.
		— I.	§ 174. — P.
	— N.	— A.	§ 175. — S.
		— I.	§ 176. — P.
	— M. N.	— A.	§ 177. — S.
		— I.	§ 178. — P.
	— N.	— A.	§ 179. — S.
		— I.	§ 180. — P.
	— F.	— A.	§ 181. — S.
		— I.	§ 182. — P.
	— F. N.	— A.	§ 183. — S.
		— I.	§ 184. — P.
	— F.	— A.	§ 185. — S.
		— I.	§ 186. — P.
	— N.	— A.	§ 187. — S.
		— I.	§ 188. — P.
	— N.	— A.	§ 189. — S.
		— I.	§ 190. — P.
	— F. N.	— A.	§ 191. — S.
		— I.	§ 192. — P.

A

A.

1. *Pater et Chremes reversi.* Sulp. Prol. Terent.
Phorm.
 Polipus et chameleon glabra sunt. Solin. 23.
 Uno et altero vulneratis. Curt.
 4. *Parentes, liberos, fratres vilia habuere.* Tacit.
5. Annal.
 7. *Sociis et rege recepto.* Aen. t. cf. n. 1.
 8. *Caper tibi salvis et hoedi.* Virgil. Ecl. 7.
 16. *Iuventus Terminusque se moveri non posse.* Liv.
 17. *Pater mihi et mater mortui.* Terent.
Capti Marsque Venusque. Ovid. de A. A. 2.
Porcus biceps et agnus mas idemque femina natus erat. Liv. 28. II.
 26. *Decem ingenui, decem virgines, patrimi omnes, matrimique adhibiti.* Liv.
 30. *Vestrae uxores, et pignora nestia fraudis, subiectis resident solae.*

B.

50. *Misericordia et perfidia in rege Philippo pari iure dilectae.* Just. 9. 8.
Nox atque praeda castrorum hostes remorata sunt. Sall. Jug. 38.
Cotem autem illam et novaculum defossam. Cic. de Divin. I. 7.
 51. *Firmum et castrum colonis occupata.* Vell. I. 14.
 56. *Cum arcum fregisti et calamos, quae tu, perverse Menalca, et cum vidisti puero donata, dolebas.* Virg. Ecl. 3.
 57. *Excita ex somno tuas litteras humanitatemque, propter quam mihi es carissimus.* Cic. Fam. 16. 14.
Murus et porta de coelo tacta erant. Liv.
Istam operam tuam, navitatem, animum in rempubl. celeritati praeturae anteponendam censio. Cic. Fam. X. 25.
Sed etiam lingua et spiritus et vocis sonus est ipse moderandus. Cic. de orat. 3. II.
 65. *Labor voluptasque, dissimillima natura, societe quadam inter se naturali sunt innexa.* Liv. 5.

67. *Locus, tempus constitutum est.* Terent. Eun. 3. 4.
Amor tuus ac iudicium de me, utrum mihi plus dignitatis an voluptatis sit allaturus, cet. Cjc. Fam. 10. 24.
68. *Et genus et virtus, nisi cum re, vilius algæ est.*
 Horat. Lat. 2. 5.
- His genus, aetas, eloquentia prope paria fuerunt.*
 Sall.
- Latium et Capua agro multati.* Liv.
- Coelum et terra ardere visum.* Jul. Obseq. de prodig.
69. *Statilius cognovit manum et signum suum.* Cic.
 Cat. 3. 10.
71. *Regna, imperia, nobilitates, honores, divitiae in casu sita sunt.* Cic. off. 1. 32.
75. *Video in me omnium vestrum ora atque oculos esse convergos.* Cic. Catil. 4.
- Verres perspicua sua consilia conatusque omnibus fecit.*
 Id. Verr. A. 1. 5.
- Gens, cui natura corpora animosque magna magis quam firma dederit.* Liv. 5.
77. *Nobis inter nos, nostra sive incommoda sive vitiæ sive iniurias esse tolerandas.* Cic. ad Att. 1. 14.
78. *Hinc leges ac plebiscita coactae.* Lucan. I.
82. *Pedes eius praecisos, et caput et manus, in ti-stam chlamyde opertos, pro munere natalitio misit.* Valer. Max. 9. 2.
88. *Proiectisque annulo et litteris.* Curt. 1. 3.
93. *Huic bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis, grata fuere.* Sallust. Cat.
96. *Vim atque arma toti Graeciae cavendam metuendamque inclytæ illæ Demosthenis orationes vocificant.* Gell. 9. 3.

C.

99. *Navem et mulierem, haec duo comparato.* Plaut. Poen. (aptius exemplum iam nunc non succurrit de-
 promptum est ex Vechneri Hellen. p. 251. cf. etiam Cort.
 ad Sallust. Ing. 38. 8.)

130. *Thrasylitus contentus est a tyrannis, atque eius solitudo.* Nep. 8. 2.

131. *Duelius, rediens e coena, delectabatur cerebro
funali et tibicine; quae sibi nullo exemplo privatus sumserat.*
Cic. de senect.

145. *Naves et captivos, quae ad Chium capti erant.
Liv. 32. 33.*

152. *Cum natura loci, tum dolo, ipsi atque signa
militaria; obscurati. Sall. J. 49.*

158. *Jura, fidem ac superos und calcata ruinā. Stat.*

169. *Suscepisti grave onus Athuearum et Cratippi,
ad quos cum prefectus sis cet. Cic.*

170. *Dane, fac aeternos pacem, pacisque ministros.
Ovid. Fast. I.*

*Classe virisque potens, per quae fera bella geruntur.
Ovid.*

*Domus, uxor, liberi inventi invito patre. Terent.
Andr.*

184. *Caesosque reportat — Almonem puerum, foeda-
tique ora Galeſi. Virgil. Aen. 7.*

Duobus quoque substantivis per praepositionem *cum* coniunctis additur interdum adiectivum plurale. *De-
mosthenes cum ceteris expulsi. Cornel. Phoc. 2. Cf. Voss.
de A. G. p. 9. seqq. Sanctii Minerv. p. 712. Ursin. T.I.
p. 22. T. II. p. 547. seqq. Gram. March. p. 431.*

§. 75.

De Convenientia substantivi cum substantivo, seu de Appositione.

Convenientia duorum substantivorum in eodem ca-
su appositiō seu adpositio (*ἐπεξήγησις*) vocatur: ut, *Mar-
cus Cato orator in civitate, et Plautus poeta in scena florū-
erunt. Gell.*

I.

In appositione numeri et generis convenientia non
semper opus. *Deliciae tuae, nosler Aesopus. Cic. Urbs
Celaenae. Curt.*

Sed opus est generis convenientia, si substantiva ap-
positionis mobilia sunt, ut *ultor, ultrix, vitor, victrix;
magister, magistra; rex, regina* cet. *Et genus et for-
mam*

mam regina pecunia donat. Horat. *Stilus optimus dicendi effector ac magister.* Cic. Exemplum in contrarium apud Sallust. I. 64. occurrit. *Cupido atque ira pessimi consultores.*

2.

Substantivis neutrius generis masculinum substantivi mobilis additur: ut, *Tempus discipulus et magister multorum.* Substantiva vero verba in IX, adiective usurpata, non femininis solum, sed etiam neutris adduntur. *Victrici solo.* Claudian.

3.

Epicoenis, cuiuscunque generis sint, addi duntaxat masculinum notant, ut *aquila rex* potius dicatur, quam *regina*, haec apis *rex reliquarum*; et sane *reges apum* in Virgil. aliisque occurunt. At voluerum *reginam aquilam* vocat Martial. cui et apis *populatrix* Hymetti, non *populator*. Res itaque in ambiguo est.

4.

Interdum, idque more Graecorum, appositiō fit *ca-*
su genitivo: ut *Annis Eridani pro Eridanus*, Virgil.
Urbs Patavi, pro *Patavium*, Id. *urbs Antiochiae*, Cic.
Arbor fici, pro *ficus*, Id. Sic *flos violae*, *metallum auri*,
et similia passim. *Quasi*, Bangius ait, *relatio sit ad diver-*
fas res. Hinc monet, eiusmodi exempla observanda potius esse, quam imitanda. Est omnino relatio partis ad totum, vel quod idem est, speciei ad genus. cf. *rectio Genitivi.*

5.

Transit quoque substantivum, quod per appositiō-
nem restringitur, interdum in adiectivum. ut *Urbs Ro-*
mana; *arbor ficalnea*.

6.

Alia substantiva ita per appositionem iunguntur, ut
alterum quasi adiectivi naturam induat, ut *populus late-*
rex pro regnans. Virgil. *Heroes sensus pro heroici*. Pers.
sibila ora pro sibilantia. Virgil. Eodem fere modo *sol me-*
ridies pro meridianus; *hoquo histrio*; *mulier ancilla*; *mu-*
lier

tier meretrix; terra Gallia, Graecia cet. Ita saepenumero Gellius.

7.

Caeterum duo plurave substantiva singularis numeri per particulam copulata, requirunt nomen plurale. ut, Pythagoras et Plato locupletissimi auctores. Cic. Luxuria et ignavia pessimae artes. Sallust. Dicaearchum cum Aristoxeno, doctos homines. Cic.

APPENDIX I.

DE CONVENIENTIA INTERROGATIONIS ET RESPONSIONIS.

Interrogativum ac redditivum nomina, si ad *idem* verbum respondeatur, *casu* convenient. ut: *Quis legens tulit?* Rallus. Cic. *Cutum pecus, an Meliboei?* Non, *verum Aegonis.* Virgil. *Cui? tibine? mihi.* Terent. cet.

Quum vero per verbum quaeritur, quod cum non minibus aliis *alio casu* construitur; interrogativum et redditivum *casu* discrepant. ut: *Quanti Eunuchum emit?* *viginti minis.* Terent. Non enim sic *emere nummi*, aut *drachmae*, dicimus, ut *emere terti, minoris, pluris.* Valla 3. 1. Sic dicitur: *cuius liber?* *meus.* *cuius interest?* *mea.* cet.

APPENDIX II.

DE CONVENIENTIA NUMERALIUM.

*Cardinales numeri aut sine aut cum copula ponuntur, suntque aut *infra* aut *ultra centum.**

1.

In *cardinalibus* *sine copula*, si sunt *infra centum*, praecedit maior minorem. v. c. *decem novem.*

2.

Cum copula vero positis plerunque minor praecedit. v. c. *septem et decem,* *duo et triginta* cet. sed *triginta et duo* Curt. *decem et octo* Liv. *viginti et duo* Cic. Pro *tredecim et sedecim* idem dixit *decem et tres,* *decem et sex.* Pro *dubiis septendecim, octodecim, novendecim,* tutius Prisciano

Prisciano praeente, decem et septem cet. dixeris. Pro octodecim et novendecim dicitur quoque duodevrginti, undeviginti et sic deinceps usque ad centum, hoc etiam inclusio, hinc duodetriginta, undetriginta cet. In talibus duo indeclinabile est.

3.

In cardinalibus vero aut sine aut cum copula positis, si sunt ultra centum, modo maior modo minor praecedit, sed maior saepius.

4.

Poetae cardinales ad *mille* usque modo per adverbia numerandi multiplicant, v. c. *ter quinque*, Ovid. modo distributiva usurpant, v. c. *ter dena pro triginta*, Virgil.

5.

Unus plurali quidem numero additur, sed iis dunat nominibus, quae pro singularibus intelliguntur: ut *una moenia* pro *una urbs*, Sallust. *unae litterae* pro *una epistola*, Cic.

Mille adverbii numeri augetur, ut *Bis mille equi*, Horat. *millia* vero et cardinalibus et distributivis, ut *duo millia virorum. centum millia peditum* Cornel. *octona millia equitum* Plin. sed numerus, qui *ultra centum millia* est, adverbii numeri. v. c. *decies centena millia*. Plin. *decies centum millia*. Liv. Ceterum *mille adiectivum* est, in quo pro reram diversitate diversa substantiva intelligenda sunt. Hinc Cic. *Tritici medimnos sex millia*. Attamen *mille*, et saepius plurale *millia* in substantivum transit. Gell. 1. 16. et Macrobius notant *Lucilium* dixisse: *Tu milli nummum potes uno quaerere centum*. Hinc *mille*, *millis* olim dictum est. Porro apud Cic. legitur: *quo in fundo mille hominum versabatur* et apud eundem: *Ibi occiditur mille hominum*.

6.

In *Ordinalibus* post duodecimum ad vicesimum usque, vulgo maiorem numerum minori *sine copula*, et minorem maiori *cum copula* praepontunt, ut *decimus tertius, tertius et decimus*. Sed Priscian. hoc invertit et *sine copula* *tertius decimus* et *cum copula decimus et tertius* dicen-

dicendum docet. Cicero quidem de Invent. rhetor. 55. et 56. *tertius decimus; quintus decimus; sextus decimus*, scripsit.

7.

A viginti usque ad centum maior sine copula praecedit, et minor cum copula sequitur, ut *vicesimus primus, primus seu unus et vicesimus, secundus seu alter* *duo et vicesimus, et sic deinceps. sed Cornel. in Ly-*
sandr. i. septuagesimus et sextus, nonagesimus et quintus,

8.

Post centum maior numerus praecedit vel *cum* vel *sine* copula. Ceterum numeris his *quisque* iungi solet, cum ex certo numero unus toties eximitur, quoties totum dividendum patitur, ut *decimus quisque* cet,

9.

Distributivi denique ordinales fere numeros sequuntur. hinc *terni deni, viceni singuli, item singuli et viceeni; centeni singuli, item centeni et singuli.*

n. 1.

Usurpantur vero hi numeri, cum singulis plurimum idem numerus attribuitur, ut: *Omnes decemviri prodire cum duodenis fascibus, i. e. quilibet decemvirorum habuit duodecim fasces.* Liv.

n. 2.

Deinde addi solent nominibus, quae pluraliter tantum dicuntur, ut: *binae litterae, bina castra.* cet. Interdum vero, (idque praesertim a poetis,) iis quoque nominibus, quae in utroque numero occurunt; ut: *bina aut terna verba pro duo aut tria.* Cic.

n. 3.

Etiam his numeris additur interdum *singuli, quisque, viritim;* quod minus ex abundantia fit, quam perspicuitatis causa. *Tiberius plebi trecentos septuaginta viritim dedit.* Tacit. vid. exempla plura in Gram. March., quae hac de re minus recte indicat.

§. 75.

De convenientia pronominum separatis.

Relativa (*qui, is, iste, hic, ille, ipse, idem*) et nomina antecedentia convenientia in genere et numero; *casus* vero a voce sequente pendet. *Nihil fingi potest mali, quo non urgari.* Cic. *Temulenta est mulier et temeraria, tamen eam adducam.* Terent.

I.

Interdum tamen, idque per Hellenismum, relatum et antecedens convenientia in eodem casu, quamquam verbum sequens alium requirit. *Cum — agas aliquid eorum, quorum consuesti, gaudeo.* Cic. fam. 9. 14. Id. ad Attic. 10. 8. Id. de finib. 1. 8. sub fin. Ratio huius constructionis ellipsis est; nam cum Cic. dicit: *quorum, supplere possis aliquid.* vid. Sanct. atque ad hunc Perizon. p. 547.

2.

Relativum et antecedens numero et genere interdum dissentiant. *Si tempus est ullum hominem necandi, quae multa sunt,* (i. tempora, et ita saepe antecedens substantivum diverso numero repetendum est.) Cic. *ut in — favorem nobilitatis veniret, quorum pars spe, alii praemio induci.* Sall. Iug. 13. ubi Sallustius retulit *quorum* ad nomen nobilitatis per synesin ratione sensus, qui huic voce inept, ita ut vocem nobilitatis collective usurparit pro *nobilibus.* Similiter idem dicit *civitas, quos.* Catil.

3.

Relativum inter duo substantiva diversi generis convenientia in genere, modo cum antecedente, modo cum sequente. *Iovis stella, quae Phaeton dicitur.* Cic. *Animal plenum rationis, quem vocamus hominem.* Id. de Leg. 1. 7. Cum optimae notae auctores utrumque genus usurpent, non est, cur alterum alteri praeferas. Attamen convenientia cum consequenti voce consecutionem Graecanicam redolet. Vjd. Urini Institut. L. L. p. 131. et Perizon, ad Sanct. Minerv. p. 550.

4. No-

4.

Nominibus diversi generis antecedentibus, relativi eadem ratio est ac ceterorum adiectivorum, de quibus supra §. 71.

5.

Cum per appositionem substantivum substantivo diversi generis ac numeri adiungitur, relativum (aeque ac adiectivum et verbum) cum subiecto principali ordinarie convenit. *Passer, deliciae meae puellae, quicum ludere — solebat.* Catul. *Flumen Rhenus, qui. Caesar.* *Flumen Oxus, hic, quia limum vehit.* Curt. 7. 10. sed Caesar B. G. 1. 12. *Flumen est Arar, quod in Rhodanum influit.* *Oppidum Latinorum Apioiae captum a Tarquinio.* Plin. Conf. Voss. Latin. Gram. in usum schol. Syntax. p. 11.

6.

Substantivum antecedens quandoque repetitur, quod Caesaris familiare est, nec aliis scriptoribus, Ciceroni, Livio, Terentio inusitatum. *Diem instare, quo die frumentum militibus metiri oporteret.* Caes. B. G. 1. Interdum repetitio haec perspicuitatis causa maxime necessaria est.

7.

Saepe fit, ut relativum cum suo iungatur substantivo, ponaturque ab initio vel in priori membro, et pronomen demonstrativum in posteriore. *Quam quisque novit artem, in hac se exerceat.* Cic. ita sexcenties, vel etiam ita: *Nemini credo, qui dives large blandus est pauperi.* Plaut. pro nemini diviti credo, qui dives cet. Poetae etiam substantivum relativo praemittunt: ut, *urbem, quam statuo, vestra est.* Virgil. plura exempla a Sanct. Vossio esse Ursino petere licet.

8.

Interdum, quod relativo debebatur, antecedenti datur: ut, *cum venisssem ad vada Volaterrana, quae nominantur.* Cic. pro, *ad vada, quae nomin. Volaterrana.*

9. Cum

9.

Cum possessivis adduntur genitivi nominum, pronominum, vel participiorum, ad primitivum respicitur. Ut, *noster* *duorum* *eventus* ostendet, utra gens bello sit melior? Liv. Similiter omnium, paucorum, unius, *soli* cet. Contentus ero nostra ipsorum amicitia. Cic. (nam pronomen *ipse* potissimum occurrit.) iudicium tuum viri eruditissimi. Plin. tuum hominis simplicis pectus vidimus. Cic. Flesti, et nostros vidisti flentis ocellos. Ovid. sed usitatus idem: Nunc mea scripta legis, qui sum summus ad Istrum.

10.

Hic proprius, ille remotius respicit. sed id perpetuum non est. vid. Sanct. 11. c. 10. eadem de re Vosius et Ursinus, his adde Horatium Turfellin. Ceterum, quoties quod antecedit, unicum est, promiscue nunc hic, nunc ille usurpari potest. Is erit Voconius, hunc ego arcte dilexi, ille meus in urbe, ille in secessu contubernialis, cum hoc seria, cum hoc iocos miscui. Plin. Epist. 2. 13.

11.

Is et idem copulativae cuidam coniunctioni subiecta, rei declarandae amplificandaeque inserviunt. Non deploro vitam, quod multi et ii docti saepe fecerunt. Cic. Paucis numinis superbit, nec iis suis. Vitium est, quod quidam nimis magnum studium in res obscuras conferunt, easdemque non necessarias. Cic.

12.

Ipse in actione reciproca casu nominativo ponitur. ut se ipse fallit. Terent. saepe mecum ipse cogito; mihi ipse numquani satisfacio. Cic. Indulgent sibi ipsi. Juvenal. sed aliud: mihi ipsi, aliud: mihi ipse dedit librum, actio enim non est reciproca.

13.

Is, iste, hic, ille, idem, substantive posita cum substantiis sequentibus convenient in eodem genere, numero et casu. ut, eas divitias, eam bonam famam, magnamque nobilitatem putabant. Sallust. pro eas res, quas

quas prius memoraverat. *Nos et eam patriam ducimus, ubi nati, et illam, ubi excepti sumus.* Cic. pro, *nos eam patriam patriam ducimus* cet. *Idem velle et idem nolle, ea demum firma est amicitia.* Cic. *Quae pertinacia quibusdani, eadem aliis constantia videri potest.* Id pro *ea res* cet. Itaque concilium quoddam est dicendi genus.

14.

Idem post se habet qui, et, ac, atque. ut, Peripatetici quodam iidem, qui Academicci. Cic. Dianam et Lunam eandem esse dicunt. Id. Animus erga te idem ac fuit. Terent. Par ratio est vocabuli alias.

§. 76.

De Pronominibus reciprocis.

Si redditur ad nomen tertiae personae quod antecedit, reciprcea *sui* et *suus* usurpantur. Reciprocatio itaque relatio quaedam est horum pronominum ad *tertiam* personam antecedentem; ad *primam* enim et *secundam* non fit reciprocatio.

I.

Tertia haec persona aut proxime antecedit, aut non proxime. Itaque aut unum nomen tertiae personae antecedit, aut plura. Quodsi redditur ad tertiam verbi proxime antecedentis; reciprocatio *simplex* seu *transitiva* est: si ad tertiam redditur commatis antecedentis; reciprocatio *composita* seu *retransitiva* appellatur.

2.

In utroque vero reciprocationis genere aut casus rectus antecedit, aut obliquus, isque vel pronominis substantivi *sui* vel possessivi *suis*. Iude octupla nascatur reciprocatio necesse est. Iam ad uniuscuiusque generis exempla progrediamur.

A, (Recipr. simpl. nominat. anteced.) *Cæsar liberam civitatem et gentibus imperantem servire sibi coegerit.* Cic.

B, *Sempronius maluit suæ nocere causæ, quam publicas deesse.* Liv.

C,

C, (Recipr. simpl. casu obliq. anteced.) *Vim Trinunitiam a se ipsa dissolvi, non patiar.* Liv.

D, *Hannibal simulans, se suas fortunas illorum fidei credere.* Cornel.

E, (Recipr. compos. nominat. antecedente.) *Ty-
vannus petivit, ut se in amicitiam tertium recipieren.* Cic.

F, *Pythius pescatores ad se convocavit, ab iisque
petiit, ut ante hortos suos pescarentur.* Cic.

G, (Recipr. compos. casu obliq. anteced.) *Vos au-
divistis ex Favonio, Clodium dixisse sibi.* Cic. pro
Milon.

H, *Spectanti Alexandro laetus nuntius adfertur,
Persas acie a suis esse superatos.* Curt. 3. 7. 4.

3.

Aliquando fit etiam reciprocatio quaedam in *pri-
mae ac secundae personae pronominibus*, cum in se re-
fleetuntur. ut, *ego me consolor; tu tibi places.* Sed
quaeritur, utrum barbara sint, *dixi sibi; nosti fratrem
suum?* Valla certe et alii pro barbaris exsibilant. Fal-
luntur vero, nam *suum sibi reddam* cet. Planti, multum
sibi dabis, etiam si nihil dederis praeter exemplum, Sene-
cae, *non emit a te, sed priusquam tu suum sibi venderes,*
ipse possedit, Ciceronis sunt. Itaque promiscuus aliquis
relativorum et reciprocorum ex prima et secunda per-
sonis usus datur. Id vero, quoniam raro occurrit, nec
eiusmodi constructio imitanda est, inde regula: *ad
primam et secund. person. non fit recipr.* Plura utram-
que in partem ex Voss. de constr. c. 46. Sanctio 1. 2.
c. 12. et Ursin. Sect. 3. p. 141. seqq. pete.

4.

*Simplex reciprocatio pronominis sui nihil difficile
habet; at suus bifariam reflecti notant.* Vel enim
possessor transit in rem a se possessam, vel res possessa
in possessorem agit. ut, *Glycerium suos parentes reperit
cet. et ulciscentur eum mores sui.* Cic. Circa priorem
modum notant: si in oratione duae pluresve concur-
rant personae tertiae, una recti, altera vel reliquae obli-
qui casus, et possessio ad illam referatur, utendum po-
tius

tius esse suus, ut, deus tuetur hominem propter bonitatem suam; sin ad posteriorem, relativis eius, ipsius, illius, ut deus versatur hominem propter impietatem ipsius. ita certe Cicero: *Milo fit obviam Clodio ante fundum eius.* Neque fallit hoc praeceptum, si personae patienti in casu obliquo constituae, vel adiectivum aliquod vel participium accederit. ut, *hoc dico, Cererem a C. Verre ex suis templis esse sublatam.* Cic. sic enim resolvit potest: *quod Ceres a Verre ex suis templis cet.*

5.

Porro inter obliquos duos si intercedat coniunctio copulativa, monent rursus, alicui pronominum relati-vorum locum esse; si praepositio cum, reciproco potius. ut, *supplicium sumvit de fure ac sociis eius, vel de fure cum sociis suis.*

6.

Denique, si casus rectus, verbi suppositum, primae vel secundae sit personae, promiscue reciproco vel relativo uti licere. ut, *cepi columbam in nido eius vel suo.*

7.

Reciprocatio vero composita aliqua interdum labo-rat difficultate, orationem enim *ambiguam* reddere vide-tur. Sed feito in illa reciproca haec ad *suppositum prin-cipale* ordinarie referri. Hinc in loco: *Pythius pisca-tores* cet. Cicero aliter loqui nequibat; sin intellexis-set *piscatorum hortos*, satius erat, *ante hortos ipsorum* dicere.

8.

Ubi vero ambiguitas exoritur, pro reciprocis relati-va interdum ponuntur. ut, *Iugurtha mittit legatos, qui ipsi liberisque vitam peterent.* Sallust. lug. 46. Sed orationis contextus omnem plerunque tollit ambigui-tatem.

9.

Ubi nulli ambiguitati locus est, promiscue recipro-ca vel relativa usurpantur. Ut, *Antonius tanto odio ferebatur in Ciceronem, ut non solum ei, sed etiam om-nibus*

nibus suis amicis esset inimicus. Cornel. suis pro eius i. Ciceronis. Contra idem Cornel. Amici absentes in eorum periculis curae erant Attico, ubi eorum pro suis. Atque ita passim optimi scriptores.

10.

Aliquando in pronomine *sui* utraque reciprocatio concurrit, ita, ut et *principale* et *secundarium* orationis suppositum respiciat. sic Gell. 1. 8. *Ad Laidem Demosthenes clanculum adit, et ut sibi sui copiam faceret petit: nam sibi ad Demosth. (quod principale suppositum est,) et sui ad Laid. referendum. Aliter Curtio scribendum erat, ne ambigua foret oratio: Macedones tot bellorum in Asia victores ad subigendam Asiam atque ultimam orientis non ipsius magis (Alexandri) quam suo (Macedonum) ductu profecti, inveteratae virtutis admonebantur.*

11.

Praesertim promiscuus est usus praepositionis *inter* cum *se* et *ipso*, genitivo, dativo et ablativo antecedentibus; ut *communia amicorum inter se omnia*. Terent. *Una spes est salutis istorum inter istos diffensio*. Cic. *Nominativo vero et accusativo antecedentibus, usitatus se adhibetur.*

12.

Deinde adduntur reciproca maxime pronominibus quisque et unusquisque. Idque saepissime occurrit, ut *trahit sua quemque voluptas*. Virgil. Non est, quod cum Vossio structuram hanc in formam aliam commutes. Ut enim dici potest, *mea me voluptas trahit, tua te v. t.* ita etiam *sua quemque* cet.

13.

Relativum *ille* in oratione finita aut expressum aut suppressum, in oratione infinita in reciprocum *sui* mutatur. ut, *Cum Dolabella scripsisset, quod (i. ille) me ad urbem venire cuperet*. Cic. pro: *Cum D. scripsisset, se, me ad urbem venire, cupere*. Relativis omnino antecedentibus (*ille, is* cet.) respondent saepissime reciproca.

§. 77.

De convenientia verbi et nominativi.

Omne verbum finitum solet iungi nominativo eiusdem personae ac numeri. Hinc omnino tria hac in doctrina exponenda sunt, de nominativo ante verbum, de verbi persona, de eiusdem numero.

1.

Primum vero pronomina personalia (*cigo, tu, ille*) raro exprimuntur. Non mirum, primae enim et secundae personae iam insunt, sed cur *is, ille*, omiserint, non constat. Interdum vero adiunguntur, idque fit aut discretionis causa, (cum diversa studia significamus, vel unum alteri opponimus,) aut ob emphasis, (cum plus significamus, quam expresse dicimus.) Exemplorum abunde est in Grammaticis,

2.

Praeter haec pronomina alii quoque nominativi tangentur; ut *homo, res, facultas, caussa, locus, occasio* (praesertim in verbis aiunt, dicunt, ferunt, sunt, est cet. cet.) *sunt quos castra iuvant*, (i. homines, saepe vero generalis haec appellatio ad materiam est restringenda, de qua sermo est.) erit, *nbi te uictimar. est, quod gaudeas.* cf. Voss. de Constr. 19. Sanct. IV. Ursin. sect. 8.

3.

Ita quoque in verbis *exempliae actionis* (i. e. absoltæ, tempestatis rationem indicantibus,) nominativus subintelligitur. In hoc genere sunt: *tonat, pluit, grandinat, rorat, lucebit, diescit, noctescit* cet. In aliis intelligitur *Jupiter, coelum, aer*, in aliis materia, ut *pluvia, aqua*.

4.

Denique deest plerumque nominativus in verbis, quæ *impersonalia* dicuntur, praesertim in impersonalibus passivæ vocis, ut *statur, valetur* cet. cf. Ursin. sect. V. c. 17. et sect. VIII. c. 8. et Sanct. III. 1. nam illis activæ vocis (si exceptias, quæ pathetica vocant, *poenitet, miseret* cet.) saepius iunctus legitur. Sed nominativus ubi-

qua

que subintelligendus, verbum enim quodvis aut copulam logicam per se exprimit, (ut *esse*) aut eandem copulam una cum praedicato subiectū. Si igitur eiusmodi verbo uteris (ut *debet*, *noctescit* cert.) et est loco propositionis; subiectum aliquod necessario subintelligendum est.

5.

Contra verbum quoque finitum interdum deest, in primis *esse*, ut *hanc mora* (i. est) Ovid. in istis pierquinque loquendi formis, mirum, quantum; incredibile, quantum, cert. ut, *hunc generi orationis ad pergentur etiam sales*, qui in dicendo mirum quantum valent. Cic. sed idem in Orat. addit: *in orationibus vero Graecis quidem admirabile est, quantum inter omnes unus excellat*. Item inquit, respondet, maxime in expositione dialogorum. cf. Cic. Tuscul. V. item coepit: *ut Tum pius Aeneas humeris absindere vestem*. Virgil. item in proverbiis et sententiis, quarum virtus primaria brevitas est: *ut fortuna fortes se adiuvat*. Cic. *Varium et mutabile semper semina*. i. est. item, idque frequentissime, in figuris quas *zeugma*, *syllepsin* et *prolepsin* vocant; *ut ferrum tueretur principem*, *enelius fides, repete tueretur*. cf. Voss. de constr. c. 19.

6.

Locum nominativi non raro infinitivus obtinet, vel etiam oratio aliqua. Ut scire tuum nihil est, pro scientia tua, Pers. dulce et decorum est pro patria mori, i. e. mors pro patria. Didicisse fideliter artes, emollit mores, Ovid. Ubi didicisse ponit pro nominativo arguit, quod Graece si exprimas, articulus addatur. Nam Graece fuerit: Τὸ μαθεῖν πρέπει τῷ οὐδην. cf. Voss. Gram. in usum Schol. Synt. p. 7. Par ratio in hoc Ciceronis: *incertum est, quam longa nostrum cuiusque vita futura sit*.

7.

Hinc verbis traditur, dicitur, fertur, videtur, creditur, existimatur et similibus, promiscue nominativus, vel accusativus sequente infinitivo iungi potest; sed isto discrimine, ut infinitivus cum accusativo vicem suppositi obeat, cum nominativo verbi finiti appositorum sit. Exempla

pla prioris constructionis: *Dicitur eo tempore matrem Pausaniae vixisse*, Nep. Paus. 5. *Nunciatur mihi Fannium deceisse*. Plin. mai. l. 8. *Videtur eum significare velle*. Gell. 2. 4. huic verbo aliquando accusativus quoque relativorum *qui, quot*, ex superiori oratione supplendus praemittitur. ut, *pueros attribue ei, quot et quos videbitur*, i. attribuendos esse. Exempla posterioris constructionis ubique obvia sunt.

8.

Verba quaelibet, si qua in propositione coniunctionem logicam aut simpliciter aut una cum nota secundaria exprimunt, duos habent nominativos, unum subiecti, alterum praedicati. (cf. §. 73. ab init.)

9.

Huc itaque pertinent primum *sum, forem, fio, existo, evado, nascor, orior*, et similia.

10.

Deinde verba passiva *vocandi, existimandi et cognoscendi*, quorum participia aequa ac illa ceterorum verborum vel in vocativo posita nominativum retinent. ut, *Salve primus omnium parens patriae appellate, primus in toga triumphum, linguaeque lauream merite*. Plin. 8. 30. in apostrophe ad Ciceronem.

11.

Denique verba *statum significantia, aut gestum*. ut *nemo saltat sobrius*. Cic. *It cubitum incoenatus*. Plaut. Huc pertinent, in quibus adiectiva pro adverbii (per enallagm partis,) ponuntur. *Venio in senatum frequens, pro frequenter*, Cic. *Tibi lubens bene faxim*. Terent.

12.

Alterum, in quo convenientia verbi versatur, *personas spectat, earumque dignitatem seu nobilitatem*.

Si nominativi diversarum personarum per copulam aliquam coniunguntur, verbum plerumque plurale requirunt, idque ita, ut prima persona dignior sit quam secunda ac tertia; secunda vero dignior quam tertia. Dicam aliter:

aliter: Nominativis diversarum personarum occurrentibus, plerumque verbum plurale aptari solet personae priori. Ut, *Haec si neque ego, neque tu fecimus*. Terent. *Si tu et Tullia valetis*. Cic. *Experti invicem sumus, ego et fortuna*. Tacit.

13.

Non tamen id perpetuum est, etenim et personae sequenti verbum accommodatur, idque singulare. Ut, *ego et Cicero meus flagitabit*. Cic. *Ego populusque Romanus — bellum indico*. Liv.

14.

Sequuntur Latini fere ordinem personarum, ac primam secundas et tertiae cet. praeponunt. Unde in illo Terentii: *Haec si neque ego neque tu; et in illo Cic. si tu et Tullia*. (Hinc in titulis, quos vocant, legimus: *Cicerio Volumnio s. p. d. non: Volumnio Cicero*.) Invenias tamen aliquando contrarium, ut in hoc Livii: *Pater et ego fratresque mei pro vobis arma tulimus*.

15.

Reliquum est, ut de numero verbi finiti exponamus. Nomen vero singulare singularem numerum et nomen plurale pluralem verbi finiti requirit.

16.

Sed nomina *collectiva* et *partitiva* singularis numeri interdum et verbo plurali coniunguntur. Ut, *maxima pars vulnerati*. Sall. Iug. 58. *Sibi quisque gratulabantur*, Vellei. 2. 104. id tamen non perpetuum. *Pictores et poetae suum quisque opus a volgo considerari vult*. Cic.

17.

Verba deinde substantiva et vocativa similemque vim habentia, quando utrimque nominativum habent, sed diversi numeri, usitatis cum numero subiecti, rarius cum numero praedicati convenientiunt. Ut, *Captivi praeda fuerunt militum*. Liv. *Regio, quae castra Cyri appellatur*. Curt. Contra Terent. Andr. 3. 3. 23. *Amantium irae amoris integratio est*. Ovid. Art. 3. 222. *vesiles — fondida lana fuit*. Huc refer, cum particula *nisi* intercedit, ut

F

nihil

nihil hic nisi carmina defunt, Virgil. quid enim nisi vota su-
perfunt, Ovid.

I 8.

Similiter in appositione numerus verbi finiti ad subiectum referuntur, si animalis est; ut *Tullia*, *deliciae nostrae*, *flagitiat*. Cic. si rei inanimae, consentit numerus verbi cum substantivo eo, quod in ordine grammatico praecedat. ut, *Carioli oppidum captum est*. Liv. *Tungri, civitas Galliae, fontem habet insignem*. Plin.

I 9.

In convenientia verbi cum duobus pluribusve substantivis, aut animantia antecedunt, aut inanimantia, aut utrumque; deinde aut eiusdem sunt numeri, (i. singularis, de plurali enim non quaeritur,) aut diversi; deinde aut cum, aut sine copula occurunt; denique ultimum (vel etiam proximum,) vocabulum aut animans aut inanimans quid denotat, estque aut singularis aut pluralis numeri. Hinc 24 varietates nascuntur.

- | | |
|--|---|
| I, Animantia enim, si
eiusdem numeri | $\left\{ \begin{array}{l} 1. \text{ vel cum} \\ 2. \text{ vel sine copula occurunt;} \end{array} \right.$ |
| II, Sin diversi, | $\left\{ \begin{array}{l} \text{vel cum cop. sunt, } \S 3. \text{ vel singularis} \\ \text{ultimaque vox } \S 4. \text{ vel pluralis numeri} \\ \text{vel sine copula; } \S 5. \text{ vel singul.} \\ \text{ultimaque vox } \S 6. \text{ vel plural. n.} \end{array} \right.$ |
| III, Si inanimantia sunt eiusdem numeri, | $\left\{ \begin{array}{l} 7. \text{ vel cum, vel} \\ 8. \text{ sine cop. efferuntur.} \end{array} \right.$ |
| IV, Sin diversi, | $\left\{ \begin{array}{l} \text{vel cum cop. sunt, } \S 9. \text{ vel sing.} \\ \text{ultimaque vox } \S 10. \text{ vel plural. num.} \\ \text{est} \\ \text{vel sine cop.,ulti- } \S 11. \text{ vel sing.} \\ \text{timaque vox est } \S 12. \text{ vel plural. num.} \end{array} \right.$ |
| V. Denique si
animal. et
inanimant.
eiusdem
num. sunt, | $\left\{ \begin{array}{l} \text{vel cum cop. sunt, } \S 13. \text{ vel animans,} \\ \text{ultimaque vox } \S 14. \text{ vel inanimans,} \\ \text{est} \\ \text{vel sine cop.,ulti- } \S 15. \text{ vel anim.} \\ \text{maque vox est } \S 16. \text{ vel inanim.} \end{array} \right.$ |

VI.

VI. Sin diversi,	{ vel cum cop. sunt, ult. vox est	{ vel singul. num. vel plural.	{ 17. denotatque vel animans
			{ 18. vel inani. mans.
	{ vel sine cop., ult. vox est	{ vel singul. n. vel plural.	{ 19. vel anim. { 20. vel inanim.
			{ 21. vel anim. { 22. vel inanim. { 23. vel anim. { 24. vel inanim.

Exempla iam suppeditabimus, ut inde, quemadmo-
dum Romani scriperint, discere queas.

1. Tiberius et Augusta publico abstinuerunt. Tacit.
Egit pater et filius, ut tibi sponderem. Cic.
Hic nobiscum sunt Nicias et Valerius. Cic.
Porcus biceps, et agnus mas itemque femina na-
tus erat. Liv.
- Bocchus cum peditibus invadunt. Sallust. Similiter
Nepos, Livius, Curtius, Virgilius.
2. Pompeius, Scipio, Afranius foede perierunt. Cic.
Qualis apud Graecos Hellenicus, Pherecydes, Acusi-
las fuit, aliquae permulti: talis noster Cato, et Pictor et
Piso. Cic. de orat. 2. 12.
7. Furor iraque mentem praecipitant. Virgil.
Casus et natura in nobis dominatur. Cic. cf. §. 71.
B. n. 64, 65, et 68.
8. His genus, actas, eloquentia prope paria fue-
runt. Sallust.
- Sunt multa, quae nos cum dignitate, tum fructu
quoque suo ducent: quo in genere est gloria, dignitas,
amplitudo, amicitia. Cic.
9. Divitiae, decus et gloria in oculis sita sunt. Sallust.
11. Vita, mors, divitiae, paupertas omnes homines
vehementissime permoveant. Cic. cf. §. 71. n. 93.
12. Frons, oculi, vultus persaepe mentiuntur, oratio
vero saepissime. Cic.
14. Thrasybulus contemtus est a tyrannis, atque
eius solitudo. Nep. 8. 2.

18. Dii te Penates, patriisque et patris imago, et domus regia et in domo regale solium et nomen Tarquinium creat vocatque regem. Liv.

19. Cf. §. 71. n. 153.

23. Cf. §. 71. n. 170.

20.

Par ratio est infinitorum pro substantivis positum, ut latrocinari, fraudare, adulterare est turpe. Cic. Proponere, partiri, interrogare sermoni proxima sunt. Quintil.

Duo igitur plurave substantiva (vel eiusdem vel diversi numeri vel cum vel sine copula posita, vel animata vel inanimata rem significent,) promiscue verbum plurale vel singulare adsciscunt.

De convenientia adverbiorum.

§. 78.

Adverbia omnibus orationis partibus adiunguntur, plurimum vero verbis verborumque participiis, ut secundaria quaedam nota significetur. Homerus plane orator. Cic. parum viri signa. Quint. Insigniter impudens. Cic. Plane nosfer. Male parta male dilabuntur. Cic. Sat cito, si sat bene. Cato. longe ultra terminum.

I.

Verbis quoque substantivis adduntur. de adverbii loci ac temporis res satis nota: ut esse hic; illuc; foris; diu in loco; in res; sed leguntur quoque apud optimos quosque scriptores: bene est; satis; abunde; apud matrem recte est; ego hunc esse aliter credidi. Terent. cet.

Deinde diligenter videndum, quae adverbia quibus orationis partibus ex usu conveniant. Non enim quodvis cuivis apte iuxteris. cf. Ursin. sect. VIII. c. 18. In primis observandum est, quocum comparationis gradu construantur. Adverbia enim constat adiectivis iuncta modo intendere modo minuere eorum significationem. Haurienda sunt haec cum ex particularum scrutatoriis,

bus,

bus, Horat. Tursellino aliisque, tum ex ipsis scriptoribus. Itaque pauca tantum hic delibabimus.

2.

Quam et tam omnibus gradibus iungitur. Nemo orator tam multa scripsit, quam multa sunt nostra. Cic. Per dextram te istam oro non tam in bellis et in praeliis, quam in promissis et fide firmiores. Id. (sed ita rarius.) Quam quisque pessime facit, tam maxime tutus est. Salust. Cum admirationi vel commiserationi inservit quam, positivo iungitur. Heu, quam fallaces sunt hominum spes, quam inanes cogitationes! Cic. Cum vero rei inservit exaggeranda, positivo, saepius superlativo: Reicit se in eam flens quam familiariter, (i. e. valde famili.) Terent. Ut mihi Cuspis quam maximas, quam primum, quam saepissime gratias agat. Cic. Quibus superlativis saepissime possum iungitur. Quam potui maximis itineribus ad Amanum exercitum duxi. Id. Quam aliis intendendi adverbii subnexum positivo plurimum iungitur: Sane quam graviter tuli. Sulpic. ad Cicer. Valde quam pauci. Brut. ad eund. Oppido quam parva. Liv. Oppido perquam pauci. Caes.

3.

Longe omnibus gradibus additur, frequentius vero comparativo et superlativo. Longe utilis, Ulpian. longe primus; longe omnium princeps, notae sunt elegantiae.

4.

Valde, sane, satis, apprime, multaque alia intendendi adverbia plerumque positivis adduntur. sed Cic. apprime rectissime; Columel. eximie optimus, maxime pessimus; Sueton. sane difficilimus, maxime humanissimus Gellius. Vossius Superlativum ita constructum propositivo ponit vult.

5.

Paulo, aliquanto, hoc, eo, quo, impendio, nihilo, nimio comparativis duntaxat iunguntur; facile pro haud dubie superlativo, ut facile doctissimus. Hactenus de convenientia. (cf. §. 70.)

II. De regimine partium orationis.

A. De regimine nominum.

§. 79.

Nomen vel genitivum *regit*, vel dativum, vel accusativum, vel ablativum. Universa vero *rectio* aliquam duntaxat *relationem* significat *nominis ad nomen*, et ea ipsa *relatio casibus* exprimitur. Itaque videndum est, quam *relationem* significet genitivus, quam dativus, quam accusativus, quam ablativus.

§. 80.

De genitivo nominum.

Si qua *relatio* est exprimenda vel inter subiectum et praedicatum, vel inter causam et effectum, vel inter totum et partem; nomen nomen rei diversae in genitivo regit. Aliter Sanct. I. II. c. 3. „*Genitivus personae significat possessorem, sive active, sive passive causatur: ut amor patriae, vulnus Achillis, (h. e. ab Achille profectum. Est enim exemplum hoc genitivi acti. ve sumti, sicut prius est passive sumti.)*“ Sed usus huius casus latius patet. Cf. Ursin. sect. VIII. c. 3. p. 32.

I.

Si duo itaque nomina ita concurrunt, ut unum eorum subiecti vicem obtineat, alterum praedicati, genitivus consequitur. Ut, *homo frugi*, *homo nihili*, *nauti* cet. *camelus eximiae velocitatis* (i. e. *camelus eximie velox*.) Curt. *Rex Persiae*. Id. et ita millies. Hinc *Evanderius ensis* (pro *ensis* *Evandri*.) Virgil. *nomen Ascanium* (pro *Ascanii*.) Liv.

2.

Alterum genitivi munus est, ut causae et effectus relationem exprimat, aliasque id genus relationes huic subiectas, ut illam actionis et passionis.

3.

Hinc etiam fit, ut Latini genitivum hunc per *a*, de [aliasque praepositiones exponant, quae originem caus.

causamque denotant. Occurrit enim *fulgor ab auro,*
(p. auri.) *certamen de gloria,* (p. gloriae.) *laudes de*
Caesare; iniuria ab illo cet.

Ceterum genitivi hi modo active, idque saepissime,
modo passive capiendi sunt, ut *fiducia formae; dolor*
illorum temporum.

Praesertim *passive* capiendi sunt genitivi pronomini-
num primitivorum, *mei, tui, sui, nostri, vestri,* cum
a substantiis affectuum reguntur, ut *victus amore tui,*
i. e. quo tu amaris; (sed *amor tuus* e. quo tu amas.) Hoc vero substantivorum genus, cum aliis genitivis
iunctum, nunc *active* nunc *passive* exponitur, *amor Ro-*
manorum e. quo Romani vel amant vel amantur. Si
posteriorius, *in* vel *erga* usurpari potest, optime enim ex-
primunt quasi transitum aliquem actionis.

Pro genitivis primitivorum interdum possessiva
occurunt, ut *mea, tua, sua, nostra, vestra causa.* Sed Papinian. *mei causa* et Ulpian. *sui causa.* In aliis
vocabus haec constructio Terentio solemnis, ut *odio*
tuo. Phorm. 5. 8. 27. *desiderio tuo.* Heaut. 2. 3. 65.

Multa quoque adiectiva, potissimum quae animi
affectionem, ut curam, desiderium, metum, notitiam,
laudem vel contrarium significant, cum genitivo con-
struuntur. Qui genitivus ab eadem *relatione* pendet,
indicat enim causam, quare iste animi status locum ha-
beat; vel significat, additum substantivum in antecedens
orationis subiectum aut expressum aut suppressum agere
seu vim aliquam dimittere. Hoc vero ita se habere vel
ex iis priscorum locis appareat, ubi pro his genitivis
de, ob, a aliaeque usurpantur particulae, quae causam,
originem, vimque aliquam denotant. Hinc Grammati-
ci, ut solent, ad ellipsis vocum *causa, gratia, ergo,*
respectu provocant, ut in Graeca lingua ad *Χαρις, εὐεντολή.*
Cum genitivo itaque construuntur,

A. Quae curam vel incuriam denotant. ut, *animus*
futuri anxius. Senec. sed Quint. II. 1. *de fama ingenii*
anxius. securus periculi. Curt. et Cic. Att. 12. 52. *ani-*
mus securus de l. t.

B. Quae

B. Quae desiderium vel fastidium significant, ut *Vulgus cupidum novarum rerum*. Sallust. *Fastidiosus litterarum Latinarum*. Cic. Brut. 70

C. Quae metum et confidentiam, ut, *timidus procellae*. Horat. *mens interrita lethi*. Ovid. *Trepidus rerum suarum*. Liv.

D. Quae notitiam vel oblivionem, ut, *Conscia mens recti, famae mendacia ridet*. Ovid. *Inscius insidiarum*. Hirt. B. A. 50. *Iuris civilis apprime doctus*. Gell. *Rudis litterarum Graecarum*. Cornel. *Ubi matrimonii sui certa fuit*. Tacit. *Ambiguus consilii*. Id. *Immener periculi*. Curt.

E. Quae laudem et crimen, ut, *Integer vitae scelesisque purus*. Horat. *Impotens irae*. Curt. *Conflans fidei*. Tacit. *Egregius animi*. Virgil.

F. Per multaque alia quae alium atque alium rei hominisque statum denotant, ut: *Irritus spei*. Curt. *Laetus animi et ingenii*. Vellei. *Compos mentis*. Cic. *Pecuniae liberalis*. Sallust. *Pecuniae suae parcus, publicae avarus*. Tacit. *Vini benignus*. (i. e. qui amat vinum.) Horat. *Reus fortunae*. Liv. *reus ob eandem caussam*. Cic. *de vi reus*. Id.

G. In eodem genere sunt adiectiva verbalia, praecipue exeuntia in *ax* et *ns*, cum in nomina degenerant. *Tempus edax rerum*. Ovid. *fugacissimus gloriae*. Senec. *Amans patriae*. Cic. *fugiens laboris*. Ovid. *Patiens inediae*. Sallust. (Sed aliud est *patiens inediā*, aliud *patiens inediae*. Participia enim simplicem modo actum sub assignatione temporis notant; sed eadem facta nomina studium, consuetudinem, habitudinem. *Patiens inediā* itaque est, qui nunc, hoc momento patitur: at *patiens inediae*, qui per naturam, aut consuetudinem inediā pati aptus est, et quotiescumque res ita fert, facile patitur.) Alia etiam in *us* exeuntia, ut *expertus belli miles*. Tacitus, apud quem talium magna copia est. Cf. Voss. de A. G. 7. 10.

3.

Denique si totum comparatur cum parte, genitivus ponitur, hinc regula vulgaris: *partitiva* regunt geniti.

nitivum. Eiusmodi autem partitiva aut substantiva sunt, aut adiectiva. ut, *maxima pars hominum*. Horat. *solis fratrum*. Liv. *Huc refer flos violae*. Virgil. *arbor fici*. Cic. etc. In eiusmodi exemplis relatio fit *speciei ad genus*, hinc partis ad totum.

In hoc genere sunt etiam numeralia, si partitionem aliquam significant, nam *duo hominum* non idem proprius est ac *duo homines*. Par ratio est pronomimum *quisque*, *aliquis*, cet. quae cum genitivo construuntur, si qua relatio sit partis ad totum.

a. Ubicunque igitur haec relatio partis ad totum exprimenda est, genitivus consequitur. Hinc Virgil. Aen. 4. 526. *Sequimur te, sancte deorum*. Curt. 4. 2. *Captivae seminarum*. Plin. 8. 48. *Nigræ lanarum nullum colorem bibunt*. Id. 11. 50. *Degeneres canum caudam sub alvum deflectunt*. cet.

b. Huc pertinet *comparativus* et *superlativus*, ille *plerumque* usurpatur, quando partitione est inter duo; hic *plerumque*, quando inter plures. nt: *Excellentissimi Persarum fuerunt Cyrus et Darius, prior horum apud Massagetas in proelio cecidit*. Cornel. de Reg. 1. Non raro comparativum de pluribus, superlativum de duabus invenias. *Iuniores patrum*. Liv. *animatum fortiora*. Plin. Is (Proca) *Numitorum atque Amulium procreat. Numitori, qui stirpis maximus erat, regnum legat*. Liv. cf. Sanct. I. II. Ursin. sect. VIII.

c. Huc referenda sunt adiectiva et pronomina neutro genere substantiae posita. Ut *dimidium facti, qui bene coepit, habet*. Horat. *Inania famae non sunt pertimescenda*. Tacit. *Intima Africae*. Id. *Proxima maris*. Id. *Edita montium*. Curt. cf. Freinsheim. Ind. in Flor. voc. *diversus*. *Supremum montis proprius non est mons ipse aliorum respectu supremus, sed suprema pars montis*. Similiter *id temporis*. Cic. *id locorum*. Sallust. *Quod in rebus honestis operae curaeque ponetur, id iure laudabitur*. Cic. off. 1. 6. *Quid hominis, quid mulieris, cum contemtu vel nota reprehensionis apud comicos*.

d. Sed eadem adiectiva, in primis neutro genere, etiam pro substantivo *recto* ponuntur. ut, *nihil novi*. Cic. *Aliter se res habet cum adiectivis tertii ordinis*, dicitur

dicitur enim: *nihil tale; aliquid triste.* Exemplum in contrarium apud Livium l. 5. 3. si quidquam in vobis non dico civilis, sed humani esset. et apud Cic. de natur. deor. 27. *Nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis.* cf. etiam de fin. 2. 34. in animis veteres inesse quiddam coeleste et divinum putaverunt. sed ratio in promptu est. Ceterum non dicitur *aliquid triste*, neque *quoddam coeleste*, sed *aliquid, quiddam* cet. Contra non licet cum Plauto dicere: *Quid ego facinus audio? quid nomen tibi est? aliquid confilium.*

e. Genitivi partitivorum, praesertim superlativo-
rum exponuntur interdum per particulas *inter*, *e sen*, *ex*, *de*, *ante*, *prae*, idque aut variationis aut perspicuitatis causa, hae enim particulae eandem relationem, sed dilucidius denotant. ut, *audacissimus ex omnibus*. Cic. de servis fidissimus. Cornel. acerrimus inter recusantes. Iustini. *Unus e senibus.* Id. *solis de superis.* Ovid.

f. Vossius aliter haec adiectiva partitiva explicat: „*Si accurate, inquit, loqui velimus, genitivus ille non regitur a partitivo, sed nomine intellecto. nam: quis nostrum, quintus regum, valent, ex numero nostrum, ex numero regum, atque ita in aliis.*” Nos vero ad relationem simplicem provocamus.

Denique animadverte, duos interdum genitivos ab eodem pendere nomine, quorum alter plerumque activus est, alter passivus. Vid. Sanct. l. II. c. 3. in fin.

§. 81.

De dativo nominum.

Si qua est exprimenda relatio rei vel personae ad aliam rem vel personam, quippe cui illa aut prodest aut nocet; ea res vel persona, cui quid aut utile est aut noxiun, in dativo ponitur.

a. Hoc igitur casu ubique significatur aut utilitas aut noxa, semperque est rei vel personae patientis.

b. Igitor ut in genitivo, ita et in dativo actio quedam cogitatur et passio, sed *nexus utilitatis aut noxae primaria* dativi nota est.

c. De-

c. Denique quoniam cum *utilitatis* notione et illa *usus*, finis aliaeque notiones coniunctae sunt necessario, sit saepe numero, ut idem dativus modo *usum* notet, modo *finem*, modo alias notiones, ut illas *aptitudinis*, *facilitatis* cet. interdum etiam *possessionis*, sed non sine utilitatis vel noxae cuiusdam respectu.

Sunt vero substantiva et adiectiva, quae cum dativo construuntur. De utrisque sic habeto.

I.

Si qua in propositione (cuius partes notae sunt,) novum aliquod substantivum additur, in quod propositionis subiectum (quod vel expressum est vel suppressum,) vim aliquam aut utilitatis aut noxae dimittit; additum hoc substantivum in dativo ponitur. ut, *Non hominibus sed virtutibus hostis.* Cic. (*virtutum hostis, eas odit; virtutibus hostis, eas simul persequitur.*) *Homo homini lupus,* Plaut. (est vero *lupus* loco adiectivi, quae observatio in omnia eiusmodi exempla cedit.) *Matres omnes filii in peccatis sunt adiutrices.* Terent. *Ornamentum bubus.* Cat. de r. r. *Monumentum famae, factis.* Plaut. In his verbum *esse* dicunt omissum, perperam, nam pendent isti dativi a *relatione.* Ita quoque *linteum extersui; argentum foenori;* ubi finitum dirigitur ad finem. Nec est, quod *designatum, accommodatum suppleatur*, vis enim destinationis in dativo ipso iam inest.

2.

Ut substantivum quodvis (propterea quod dativus subiecto potius nititur, quam praedicato,) cum dativo construi potest, si qua in propositione relatio ante dicta, vel notiones cum eadem coniunctae, significandae sunt. Huc autem in primis referri solent adiectiva

A. commodi et incommodi. ut, *Non hic cibus utilis aegro.* Ovid. *Scripta auctori perniciosa suo.* Id.

B. aptitudinis et ineptitudinis. *Malum malo aptissimum.* Liv. *Nihil est naturae hominis accommodatius beneficentia et liberalitate.* Cic.

C. facilitatis et difficultatis. *modum verborum misero tenere difficile.* Curt. *In via virtuti nulla est via.* Ovid.

D. hinc

D. hinc verbalia in BILIS. *Nec dictu affabilis illi.* Virgil. *Hic tibi sit potius, quam tu mirabilis illi.* Horat.

E. Proprietatis et communitatis; aequalitatis et inaequalitatis; amicitiae et ocii; propensionis et promptitudinis; propinquitatis; adfinitatis, permultaque alia adiectiva.

3.

Multa vero ex his et cum genitivo constructa leguntur, idque ex sententia Vossii, propterea quod sunt absolute instar substantivorum posita. Hoc in genere sunt potissimum adiectiva *affinitatis*, *aequalitatis*, (quae quantitatem spectat,) *similitudinis*, (quae qualitatem,) *propensionis* permultaque alia. Quorum significatio si, diversa constructione, diversa non sit; ad usum utique tyrannum provocari licet. Id vero antequam facis, consule generales utriusque casus regulas, iudiciumque tuum.

4.

Alia, quae *commodum*, *aptitudinem*, *facilitatem*, *propensionem* notant, pro dativo rei non raro exponuntur per praepositiones *ad*, *in*, *erga*, *adversus*. (§. 80. 3. c.) quae particulae vim dativi magis perspicuum reddunt, et clariorem, non tollunt. Ut, *homo ad nullam rem utilis*. Cic. *Alcibiades ad omnes res aptus*. Cornel. *Calcei ad pedes habiles*. Cic. *iniquus in aliquem*. Terent. *Benevolus erga aliquem*. Plaut. *fidelis in aliquem*. Cic. *Sed quid usus ferat, quid vetet, videndum, nemo enim dixerit: carnis, odiosus, suspectus in aliquem*; neque *pius*, *impius*, *officiosus alicui*.

Si grammaticorum libros evolveris, in regimine adiectivorum solere ad ellipses provocare invenies, non item in regimine dativi, cuius ratio in promptu est. Atqui si est particulis aliisque id genus supplementis in dativo supersedendum; potest iisdem, mea quidem sententia, et in genitivo, accusativo et ablativo commode superfederi.

§. 82.

§. 82.

De accusativo nominum.

Praeter relationes, in quibus exponendis adhuc sumus versati, aliae sunt atque aliae, quae non tam ab intellectu humano, quam aliunde potius originem trahere videntur. Etenim cum *tempus*, tum vero etiam *spatium*, (unde *locus*, *motus*, *quies*, *mensura*, idque genus alia, quae non nisi tempore et spatio esse possunt,) novas quasdam suppeditant relationes, vel iisdem, quos exposuimus, casibus, vel aliis exprimendas.

1.

Est vero notatu dignissima *motus* notio, ea enim est, quae novum casum, *accusativum*, peperisse videtur, qui a prima origine *motum ad locum* notat, et hoc iam *propriam* iam *inproprietatem*. In verbis enim *activis*, quorum actio in quid aliud *transire* dicitur, eadem *motus* notio latet; latet; *inproprietate* quidem seu *translate*, ut sit in rudi populo.

2.

Deinde *longitudinis*, *latitudinis*, et *altitudinis* *mensura* in hac eadem *motus* notione posita est. Etenim si agrum 100 pedes longum, (Colum. 5. 2.) aut intercalarium mensem 45 dies longum (Cic. Verr. 2. 52.) i. e. si definitum aliquod spatium, aut tempus, vel vere metris, vel mente, quod idem est; actio haec sine *motus ope* haudquaquam perfici potest.

3.

Indidem vero ducenda *relatio est rei ad aliam rem prioris mensuram*, et hoc ipsum mensurae nomen in *accusativo* ponitur.

Accusativus itaque semper a *relatione* pendet, et ubi cunque locorum praepositio addita est, ibi maior quaedam enarrata erat perspicuitas, vel ambiguitas fungienda. Id *Sanctius* I. II. c. 5. ab init. aliter longe iudicat esse. „Accusativus, inquit, semper a praepositione pendet: ut, „vixit annos centum; latus pedes viginti; eo Roman. — „Tempus continuum et mensuram praecipiunt debere „, collo-

„collocari in accusativo sine praepositione: ut, studui de-
 „ceni annos; pendet libras triginta. Hoc falsum est; vir-
 „tute enim praepositionis subintellectae ponituri ille ac-
 „cusativus, et non ex vi temporis: dicimus enim,
 „commoda mihi librum in decem menses. aut intra quinque
 „dies. Dicimus item, vixit annos centum et per annos
 „centum, et ante annos centum, et centum annis. Deni-
 „que ratione praepositionis subintellectae aut appositae,
 „riteris accusativo et ablativo. Cicero saepissime dicit:
 „aliquot per annos; per eos dies; per decem menses. Liv.
 „obsidio vix in paucos dies tolerabili. Horat. Quod et
 „in hunc annum vivat, et plures. — In illis: pridię
 „Compitalia, pridię ludos. Erasmus et alii docti faten-
 „tur deesse praepositionem ante. Quintil. I. 5. foloe-
 „cismum putat esse, si quis dicat: *Venio de Suis in Ale-*
xandriam, sed decipitur, decepitque gregem Gramma-
 „ticorum. „

At vero Sanctius ipse, ut ego quidem opinor, mi-
 rum in modum decipitur. Non enim ausim cum illo
 vim illam occultam regiminis praepositionibus tribuere,
 quas serius, quam substantiva et verba, inventas credo.

4.

Est vero etiam in hac nominum constructione cum
 accusativo duplex rectionis genus, unum a substantiis,
 ab adiectivis alterum. In illo sunt:

a. Primum *verbalia in US et IO*, quae, cum mo-
 tum ad locum significant, regulam generalem sequuntur.
 (vid. n. 1.) Ut, *meus domum e foro reditus*. Cic. *Do-*
mum reditonis spe sublata. Caes. *Domum repetitio.*
 Hygin.

b. Deinde alia *verbalia in IO*, quae, ut verba,
 unde derivantur, antiquitus accusativum adsciebant: ut,
Quid tibi hanc rem curatio est? *Quid tibi ludos spectatio?*
quid tibi hanc aditio? *quid tibi meam tactio est?* Omnia
 haec Plauti. Quae vero, quamquam non modo non re-
 pugnant regulis, verum etiam maiori sunt emphasi, quam
 solemiores loquendi formulae, (nam *quid tibi ludos spe-*
ctatio, non est: quid spectas ludos? sed potius, *quid ad te*
ludi, cur audes eos spectare?) attamen, quia sic vult sic
 iubet

iubet usus, ne imiteris caveto. Retinent vero alia eiusmodi substantiva, praesertim a verbis orta, quae cum dative construuntur, verbi sui casum. Ut, *multos eius honoris video esse fautores*. Cic. *Instititia est obtemperatio scriptis legibus*. Id. Sed possis haec ad communem dativi usum revocare.

c. Denique verbalia in U M accusativi casus, quae vulgo vocant *supina*, et illa in BUNDUS. de his infra.

5.

Alterum genus vocum, quae cum accusativo construuntur, *adiectiva* sunt, maxime adiectiva dimensionis. Huc refer *longus*, *latus*, *amplus*, *altus*, *profundus*, *crassus*. Ut *gladii longi quaterna cubita*. Liv. *fossae quindecim pedes latae*. Caes. *fossae quinque pedes altae*. Id. *Locus duodecim pedes humi depresso*. Sallust. *Arbor duos pedes crassa*. Cat. In eiusmodi locis subintelligunt ad. male. provocant quidem ad Varr. de r. r. l. 3. c. 5. ubi: *Est lapis, inquit, a falere pedem et dorantem alta, (alexandri p. altus,) ipsum falere ad duo pedes altum a flagno, latum ad quinque; sed quis est qui videat, pedem altus aliud esse, aliud ad 2. pedes altus.* Falere enim ad 2. pedes altum, molem denotat, quae nondum duorum pedum altitudinem habet. Quam si habuisset, dicendum potius erat: *falere duos pedes altum*, ut Varro ipse: *lapis pedem et dorantem alta*, dicit. Varro igitur non suffragatur. Parque ratio est ceterorum locorum.

Eadem vero adiectiva interdum et cum genitivo constructa occurunt. Ut, *fossa viginti pedum lata*. Caes. *Musculum sexaginta pedum longum facere instituerunt*. Id. Genitivi hi a substantivis *fossa*, *muscum* pendent, exprimuntque relationem subjecti et praedicati. qua de re antea.

Interdum cum ablativo. Ut, *longus sesquipedie*, *latus pede*. Plin. *fossa sex cubitis alta*. Liv. vel ita quoque: *Platanus longitudine quindecim cubitorum, crassitudine quatuor ulnarum*. Plin. *frutex palni altitudine*. Id. Quae omnia ad communem ablativi usum revocari queunt. Unde non est, quod cum Vossio *a* seu *ab* vel cum Urzino *tenuis subaudiamus*.

6. De.

6.

Denique *accusativi* occurunt, qui explicatu difficiliores videntur. Nomina enim *partem*, *genus* vel aliud quoddam rei adiunctum significantia, caso accusativo a scriptoribus iuncta leguntur; id quod in Graeca lingua usitissimum est, hinc ad eam provocatur. ut, *aeger pedes*. Gell. *Cressa genus Pholoe*. Virgil. Exponuntur eiusmodi phrasēs per quod ad hoc vel illud attinet. Quae ellipsis et in his placet: *anxius*, *moestus*, *sollicitus* vicem alicuius. At vero in *natus annos triginta*, (quod ante intelligendum requirere dicunt,) series quaedam, hinc *longitudo* cogitatur, hinc regulae generali maxime consentaneum est. Cf. de accusatīvis his Vechner. Hellenolex. I. 1. part. 2. c. 16. p. 256. Heusinger. ad Cic. offic. I. 1. 1. 7. Ursin. sect. VIII. c. 5. et Sanct. I. II. c. 5. Sanctius haec: „*Fratructus membra: cetera Graius; albus dentes*, Graeca sunt „et ad ellipsis referenda; deest enim *κατὰ*, ut in ellipsis „*Praepositionum*. „Ad quem locum Perizonius: „Huc „refer illud Ovidii Heroid. IV. 3. *Hoc tamen ipso debueram scripto certior esse tuo*, pro quod ad hoc; — tum „vel maxime istas locutiones, quae accusativum verbis „habent iunctum, sed pro quo usitatis in sequenti commate Nominativus eiusdem vocabuli exprimitur. Tenerent. Eun. I. 2. 86. *Istam nunc times, ne Illum talen praeripiatur tibi*, pro nunc times, ne ista illum. cet. Cic. „Fam. 4. 1. *Rem vides, quomodo se habeat*. — Supple in „his omnibus quod ad, vel plenius quod attinet ad. cet.“

§. 83.

De ablativo nominum.

Reliquum est, ut de ablativo agamus, at breviter, quumquam hic grammaticae locus satis verbosus esse solet. Pendet vero iste casus, ut ceteri, ubique a *relatione quadam*, quae interdum per praepositiones exponitur clarius.

Si ablativi terminationem spectas, quae, cum linguae reperiantur, quarum nomina omnibus in casibus eundem retinent terminationem, parum omnino casuum naturam attingit; a *dativo* non ita multum discrepat, id quod

quod de plurali numero per se patet, sed similiter cum singulari comparatum est. Etenim *a* ablativus primi ordinis cum iota subscripto, idem est ac *ai* dativus antiquus; dativus vero tertii antiquitus per *e* et *i* effebatur; quarti per *ui* et *u*; quinti per *e*. hac de re supra. Sed si *vim* et *significationem* huius casus respicias, totus est a dativo diversus. Etenim

Denotat ablatus vel locum unde, vel ubi, vel locum ultra quem; hinc motum a loco, hinc originem unde, hinc causam unde vel qua re? haec omnia eodem redeunt.

Vides vero, ut homo rudis ubique ab eo, quod sensibus subiectum est, incipere soleat, idemque adhibeat ad notiones intellectus humani proprias. Deinde, scito, farragine regularium hoc de casu occurrentium invita, ab una tamen atque eadem relatione fere ubique pendere. Denique non alienum erit, quo melius relationem hanc intelligas, exempla a grammaticis suppeditata, in logicas interdum mutare propositiones, vide reque quid additum sit, *in hoc ipso enim substantivo addito vertuntur omnia.* Exempli gratia proferunt hunc Curtii locum: *laetus adspectu*; plenius: *Ille est laetus,* quae una relatio est; iam vero additur *adspectu*, haec altera est, de qua quaeritur.

Sunt vero duae potissimum regulae de rectione ablativi a nomine; una de substantivo, altera de adiectivo praecepit.

I.

Si propositioni alicui, ubi duo substantiva ita occurunt, ut eorum unum vicem praedicati obtineat, novum aliquod substantivum additur, quod eiusdem praedicati causam vel rationem explicat; additum hoc substantivum in ablativo collocatur. Ut, *aestate et pietate filius, beneficio parens, amore frater inventus est.* Terent. *Ptolomeus puer aestate.* Caesar. *Natura tu illi pater es, consiliis ego.* Cic. Quaeritur enim, *quare filius dicatur, quare puer.* — similiter dicitur *vinum Chio, domo Phoenix cet.* quaeritur enim *unde?* vid. Voss. de constr. c. 14, et Ursin. sect. VIII. p. 95.

G

a. Fere

2.

Fere eodem redeunt exempla, in quibus substantivum eius rei, quae significatur alteri *inesse* vel *ad esse*, nunc in genitivo ponitur, nunc in ablativo. Quemadmodum dici queat: *adolescens summae audaciae*, (Sallust.) supra dictum est; quemadmodum vero: *adolescens summa virtute et humanitate*, (Caes.) iam nunc dicendum. *Adolescens summa virtute*, idem mihi videtur esse ac *adolescens summissus virtute*, ita certe Romani interdum loquuntur. vid. Ursin. sect. VIII. p. 30. ubi *puer praeflantis ingenii*, *praeflanti ingenio et praeflans ingenio*. Indicat iste ablatus, qua re praestans sit, hinc *causam*, quam ob rem praestans dicatur. In *vir claris natalibus*; *homo loco obscuro*, locus indicatur seu origo, unde; in *mulier aetate integra*, locus, ubi; nam non plenius quidem, sed clarius dicere posse: *mulier in aetate integra*.

In his loquendi formulis videndum est, quid usus ferat, quid respuat, in aliis enim genitivus usitator, in aliis ablatus. Earum vero significatio una est atque eadem, id vel ex his locis intelligitur, ubi utraque constructio occurrit. Ut, *Adolescens eximia spe, summae virtutis*. Cic. Fam. 1. 7. *Pompeius oris improbi, animo inverecundo*. Sallust. fragment. *Bos amplissimi corporis, cerviceque valida*. Columell.

3.

De substantivorum opus et usus constructione separatis.

Propria horum vocabulorum significatio et natura diu sane latuisse videtur. De *opus* Sanct. IV. 15.
 „Opus, si carnificibus linguae Latinae, id est grammaticis, credas, in mille munia distrahitur: — nunc enim substantiae indeclinabile, nunc adjective indeclinabile accipiunt, et omnibus fere casibus posse iungi asseverant; quia etiam sunt, qui *opus habeo*, pro „necessitate est mihi, dicant. — (Columella certe IX. 1. „dixit *opus habeo*, ut Graeci $\chi\eta\mu\eta\tau\alpha\chi\omega$, sed rarum id „est, atque insolens in Latinitate. Vid. Vorst. de Latinis. merit. suspecta c. 6. fin.) — Ego haec omnia „puto

, puto deliramenta: nam nec opus sumitur pro *necessitate*
 est mihi, nec aliud unquam significat, quam hoc no-
 men opus operis, ut opera nostra, opera regis." —
 Bene, non enim significat *necessitate* est, sed minus, nec
 utilis est, sed plus. Cic. de orat. Illud etiam si opus est,
 tamen est minus necessarium. Senec. epist. 95. *Emas,*
non quod opus est, sed quod necessare est. et auctor ad
 Herenn. Tacito cum opus est, clamans; cum loqui con-
 venit, obmutescit. Hinc id plerumque opus esse dici-
 tur, quod aliquo quidem modo requiritur, tanquam
 conveniens vel usui futurum; at non simpliciter, ut
 necessarium, quo nullo modo carere possis. Ubique
 igitur suam servat significationem, qua pro negotio, la-
 bore, opera sumitur. Ursin. Sect. VIII. p. 100.

Indidem liquet opus natura sua substantivum esse;
 (est quidem interdum adiective accipendum, hoc au-
 tem in omnia substantiva cadit.) Hinc etiam adiectivo
 iungitur: *Sunt, quibus unum opus est intactae Palladis*
urbem — Carmine perpetuo celebrare. Horat. Carm. I. 7.
Hoc opus, hic labor est. Virgil.

Neque quidquam peculiare in constructione huius
 vocis est, sed more aliorum substantivorum cum eo
 casu coniungitur, quem sensus orationis, seu ea, quae
 exprimenda est, relatio, requirit. Frequentissime vero
 construitur cum ablativo rei acquirendae. Ut, *opus est*
nobis tua auctoritate. Cic. Hinc etiam cum participio
 ablativi casus. ut, *Cui quae sit opus est, quis unquam*
hunc vere dixerit divitem? Cic. Parad. *Priusquam incipiias,*
consulto, et ubi consulueris, mature facto opus est.
 Sallust. Catil. Et cum supino, ut, *Si illud, quod ma-*
xime opus est iactu, non cadit, illud, quod cecidit forte,
id arte ut corrigas. Terent. Quo de loco Ursin. et
 Perizon. ad Sanct. Minerv. I. c. — Caussam nominis
 opus cum ablativo constructi, in ellipi praepositionis
 in vel de querere solent. Quod quamquam iure rei-
 ciendum est, declarant tamen haec praepositiones, ve-
 ram, quae in isto ablativo cogitanda est, relationem.
 Etenim *nobis est opus tua auctoritate, est: habemus opus,*
(Bedürfniss;) iam quaeritur qua in re? tua, responde-
tur, auctoritate, et sic auctoritas causa operis habenda est.

Cum haec sit nominis *opus* natura, quam ex Sanctio ostendimus, non dubium est, quin more ceterorum substantivorum et cum genitivo construatur. ut, aliquantum *nobis temporis*, et *magni laboris* et *multae impensae opus* fuit. Cic. fam. 10. 8. Contendit quidem Sanctius, genitivos *magni laboris* et *multae impensae* ab aliquantum regi, sed recte Vossius:

„Temporis quidem ab aliquantum pendet; verum laboris et impensae aliunde (nempe ab opus) reguntur; cum „Latine non dicatur aliquantum magni laboris, aut aliquantum magnae impensae. „ Ita etiam Livius 22. 51. ad consilium pensandum temporis opus est. et sic passim apud optimos quoque scriptores.

Frequentius vero cum *nominativo*, quam cum genitivo. Si quid opus est, impera. Plaut. dux et auctor nobis opus est. Cic. nobis exempla permulta opus sunt. Id. In eiusmodi exemplis *opus* adiectivi seu praedicati vicem obicit, ut saepenumero fit.

Perraro cum *accusativo*, et sunt qui negent *opus* unquam cum hoc casu constructum occurrere. perperam. Ut Vossio concedamus, in Plautino *puero opus est cibum*, cibum pro nominativo antiquo esse accipendum, (quod in mentem nobis venerat, priusquam Vossium legeramus,) tamen ex alio eiusdem Plauti constructionis huius veritas satis superque apparet, ut, quid isti suppositum *puerum opus pessime*? Hinc *cibum* quoque pro accusativo accipi potest. Quaeritur enim quo tendat pueri *opus*? haec vero actio *accusativo* significatur.

4.

In nomine *Usus* breves esse possumus, nam eiusdem constructionis est et fere eiusdem sensus. Absolute et apud Ciceron. occurrit, Tuscul. 4. de caeteris fluidis alio loco dicemus, si usus erit. et alibi, si quando usus effet; ita etiam Lucret. 4. 829. ut facere ad vitam possemus, quae foret usus, i. facere. Sed passim quoque cum ablativo apud poetas adolescentiae Romanae, apud Plautum, Terentium, Lucrem. ut, *Viginti iam usus est filio argenti minis*. Plaut. Non usus facto est mihi nunc. Terent. Nec porro augendis rebus spatio foret usus. Lucret.



eret. Quin etiam apud Virgil. Aen. 8. 441. *Nunc viribus usus, nunc manibus rapidis.* Denique apud Gellium comicae locutionis amantissimum. De genitivo iam non superat exemplum, sed hac in re assentior Ursino. Sect. VIII. p. 106. *Non video, inquit, quid pro nunc viribus usus, ex. gr. vetus dicere, nunc virium usus.* Collationem inter *opus* et *usus* instituit Perizoni ad Sanct. I. IV. c. 15. p. m. 794.

5.

Iam vero ad *adiectiva* progredimur, quae ablativum *regere* dicuntur. Sed mea quidem sententia ne unum quidem *adiectivum* est, quod ablativum adsciscat. Et enim dic tandem, utrum in Ovidiano: *rerum successu tumidus*, vel in Ciceroniano: *corpus vulneratum ferro*, ab *adiectivis tumidus* vel *vulneratus* pendeat ablativus? nam *adiectivum* quodvis, quatenus *adiectivum* est, *convenit* quidem cum suo *substantivo* in eodem genere cet. Sed *rectionis* plane expers est. Neque vero iste ablativus a *praepositione* subintelecta pendet, id enim ob primaevam linguae cuiusvis naturam esse nequit, sed ubique *relatione substantivi additi*.

Si cui propositioni, (cuius duae partes sunt, *subiectum* et *praedicatum* seu *adiectivum*,) novum aliquod additur *substantivum*, quod *adiectivi caussam* vel *rationem* exponit; additum hoc *substantivum* in *ablativo* ponitur. (vid. n. 1.) Ut, *deteriores omnes sumus licentia*. Terent. i. e. *caussa*, quare *deteriores sumus*, *licentia* est. Hunc *ablativum caussae* appellant, nec *inuria*. In *duplex gemmis auroque corona* apud Virgil. indicatur *caussa materialis*; unde dixerunt hunc *ablativum materiae ex qua*. *Corpus vulneratum ferro*. Cic. i. e. *instrumentum* hoc *caussa vulneris* est. Hunc appellant *ablativum instrumenti*, quo nomine superfedere poterant. *Callida consilia et audacia prima specie laeta, tractatu dura, eventu tristia sunt*. Liv. i. e. *caussa laetitiae* prima species est cet. Huc referunt, *grandis, maior, minor, maximus natu*, ut Cic. et alii, quibus *origo* exprimitur unde, hinc *notio*, quae illi *caussae* adhinc est. Hunc *ablativum modi* dicunt. *male*. *Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus*.

buscus. Martial. crine locum denotat, ubi Zoili rubor, et tanquam ruboris originem; vel etiam crinis causa dici potest, quare Zoilus rubor dicatur. Is ablative *partis* dicitur. sed cum innumera sint adiectiva, quae cum ablative coniuncta reperiuntur, nec tamen simile quid significent, ablative circumstantiae addiderunt. Quasi reliqua adiectiva ut *vulneratus*, *laetus* ceter. quid aliud denotent! ut genere *Afer*; domo *Siculus* apud Ursinum, *puer ingenuus vultu*; *similis voce coloreque*; *grandis natu*; apud Vossium. Haec omnia ex regula generali explicanda sunt.

6.

In quibusdam eiusmodi locutionibus *praepositio* quedam additur, de causa, quare fiat id, supra. occurrit *fessus de via* apud Cic. *insignis ab arte* apud Ovid. *vas e gemmis*, (et ita fere semper causae materiali *praepositio* additur.) *liber ab animi perturbatione* apud Cic. Vide plura in Gram. Marchic. p. 490. apud Ursin. sect. VIII. ubi „In aliquibus (adiectivis) inquit, pro varietate causa, suum aut *praepositionum* expressarum aut suppressarum sensus variatur: ut in *aeger morbo*, *vulnere*, *ex*, *ubi*, *causa*; *aeger pedibus*, *animo*, *ab*, *ubi* pars sive subiectum quo notatur.“

In hoc genere sunt in primis adiectiva *ordinis* et *diversitatis*, ut *primus*, *secundus a rege*; *alter ab illo*; *proximus a Iove*, et Cic. de fin. 3. 16. *secundus ad regium principatum*. vid. §. 30. *Alienus a nostra familia*. Terent. *Ille totus a te diversus*. Cic. Sed Cic. etiam sine *praepositione*. Attic. 6. 1. *Alienum aestimatione mea*, et Fam. 5. 17. *Non putavi esse alienum institutis meis*, haec ad te scribere. De aliis eorumdem adiectivorum constructionibus vid. Ursin. sect. VIII. c. 3.

7.

Inter adiectiva, quae cum ablative coniuncta leguntur, separatim referuntur *venalis*, *vilis*, *carus*, *dignus*, *indignus* et alia. ut, *otium non gemmis*, neque *purpura venale* nec *auro*. Horat. i. e. nec *gemmarum causa* sunt, nec *purpura*, nec *aurum* quare *otium vendatur*, vel haec omnia me non movent, ut *otium vendam*. Similiter *vilis est argenti vigenti minis*, apud Terent. *Quod non opus est*,

*est, esse carum est, apud Senec. ep. 94. locique alii apud alios explicari queunt. — Chabrias res multas memoria dignas gestit. Cornel. et ita indignus honore, amicitia, favore. Ad locum Horatii: *Dignum laude virum Musa vetat mori*, Voss. haec: „Accuratus rem intuenti, ille „etiam ablativus regitur ab intellecta praepositione. Ut „dignus laude pro à laude.,, In hoc vero exemplo, (ut in multis aliis) causa extra laudem posita videtur, non in laude ipsa Ablativus hic locum potius indicat ubi. Hinc fortasse satius erat, locum per in exponere. De fretus, contentus, praeditus taceo, nulla enim difficultate laborant.*

8.

De ablativo comparativorum fusius exponit Sanct. II. 10. p. 211 seqq. multo fusius Ursin. sect. VIII. p. 107. seqq. Voss. de constr. c. 15. seqq. Linacer III. 190. et alii.

a. Comparativus cum ablativo usurpatur, si vel duo vel plura aut eiusdem aut diversi generis inter se comparares. ut, *Honestā mors turpi vita potior*. Tacit. *Maiora sunt praemissis pericula*. Curt. *Posterior diēs acerbior priorē*. Cic.

b. Cum iisdem comparativis iunguntur ablativi opinione, sive dicto, aequo, iusto, solito. ut, *opinione celerius venturus esse dicitur*. Cic. i. e. *ultra seu supra opinionem, seu celerius, quam homines opinantur*. *Nec tamen est solito tardior orta dies*. Ovid. i. e. non tardior, quam solet. Sed pluribus exemplis non opus. Interdum iisdem hi ablativi *aequo, iusto* cet. reticentur. Vid. Voss. l. c. Perizon. ad Sanct. l. c. et Ursin. Sect. VIII. c. 6.

c. Cum ablativo comparationis alter etiam ablativus coniungitur; de eo, *tanto, paulo, quanto, aliquanto* et aliis ablativis intendendi, res satis nota, sed praeter hos et alii ablativi, ut: *Quis P. Octavio ingenio prudenter?* Cic. *Fabricius Luscinius honoribus et auctoritate omni civi suis temporibus maior*. Valer. Maxim.

d. Eadem constructionem cum ablativo imitatur comparativus *peripherasticus*. Ut, *luce magis dilecta*. Virgil. *Sol rubet solito magis*. Liv. Idem cadit in comparativa neutra *plus, amplius, minus*.

9. Com-

9.

Comparativi ablativus in *quam* mutari potest cum eo casu rei superatae, qui sententiae congruit. Casus autem ante et post *quam* aliquando inter se convenient, aliquando discrepant.

a. Conveniunt, cum ab eodem nomine, verbo aut praepositione pendent ut, *Habitus corporis quiescenti, quam defuncto similior*. Plin. *Ego hominem callidiores vi- di neminem, quam Phormionem*. Terent. *In solo magis fumante, quam ulla ignis habente reliquias, flaminam evo- muit*. Valer. Maxim.

b. Discrepant, quando sententia membra sequentis nominativum cum verbo *sum* (aut expresso aut suppresso) desiderat. *Si vicinus tuus meliorem habet equum, quam tuus est*. Cic. *vidi hominem multo, quam Phormio (est), callidorem*. Terent.

c. Interdum *quam* omittitur et nominativus cum nominativo antecedente concordat. *Plus tertia pars eximi- tur mellis*. Varro. *Ut hoc nostrum desiderium ne plus sit annuum*. Cic.

d. Quam duobus comparativis sine casu comparatio- nis fere positis interponitur. *triumphus clarior, quam gravior*. Liv. *Pestilentia minacior, quam perniciose*. Quintil. i. e. triumphus non tam gratis, quam clarus; pestil. non tam perniciofa, quam minax. Alter Cicero; *Artem habebitis magis magnam atque uberem, quam difficultem et obscuram*. Et Tacit. in vita Agricol. *Sublime im- genium speciem excelsae gloriae vehementius quam caute ap- petebat*. i. e. non tam caute quam vehementer.

e. Quam post comparativum eleganter coniungitur cum *ut*; cum *qui*, (pro *ut*); cum *quantus*; cum *pro*. Vid. Horat. Turselin. In primis vero queritur, quando *quam* cum suo casu ablativo praferendum sit? Hac de re ita Saturnius l. IX. c. 8.

„Sunt nonnullae comparationes, quibus si casum ex „vi comparationis tribuas, his nihil fiat languidius, ni- „hil frigidius. Nam cum Cicero ait tum in Bruto: Cn. „Lentulus multo maiorem opinionem dicendi actione fa- „ciebat, quam quanta in eo facultas erat; tum lib. III. „de orat. Caeteri maius quiddam de L. Crasso, quam „quan-

„quantum a nobis exprimitur, suspicentur; et rursus:
 „Haec maior ratio videtur, quam ut hominis possit sen-
 „su aut cogitatione comprehendendi, — quid his potuit di-
 „ci rotundius? quid venustius? quid plenius? At si ca-
 „sum iis ex vi comparationis tribuas: Cn. Lentulus mul-
 „to maiorem opinionem dicendi actione faciebat facultate
 „sua; — Caeteri maius quiddam de L. Crassio expressio-
 „ne nostra suspicentur; — haec maior ratio videtur hu-
 „manā sensuum aut cogitationis comprehensione; — vi-
 „des ut comparatio ipsa statim refloccescat, atque elem-
 „bis vietaque fiat.” Videndum itaque est, vel quid per-
 „spicuitas orationis requirat, vel quid ornatus et decor.

IO.

Deinde variatur etiam eadem comparativi constru-
 ctio per ac et atque, at vero rarissime. *Arctius atque*
hedera procera adstringitur itex. Horat. *Mihi Dionysius*
videtur diutius absuturus, ac nolle. Cic. De usu harum
 particul. cf. Horat. Tursellin.

II.

Idem porro comparativus variatur per praepositio-
 nes ante, *prae*, *ultra*, *praeter*, *supra*, modo positivo,
 modo comparativo iunctas. *Prae nobis beatus.* Cic. *fe-*
lix ante alias virgo. Virgil. *Uxor Vitellii ultra feminam*
ferox. Tacit. *Testis est Phalaris, cuius praeter ceteros est*
nobilitate crudelitas. Cic. *Campani, dum supra vires suas*
praefstant. Liv. — *Pygmalion scelere ante alios immanior*
omnes. Virgil. *Unus prae ceteris animo fortior exsurgit.*
 Apul. *Multo praeter ceteras altiore crucem statui insit.*
Quinetil. formā supra hominem augustiore. Solin. Hic
 vero praepositionum usus non temere imitandus est, ple-
 rumque enim gravius rem exprimunt, consulatur itaque
 Horat. Tursellin. Restant alii modi, quibus comparati-
 vus variari potest, in primis formula, qua Cicero est
 delectatus. cf. off. I. I. c. 5. c. 15. c. 16. c. 19. et alibi.

I 2.

Denique ad harum constructionum perveniamus
 caussas, videamusque, quid grammatici de iis iudicarint.

Per

„Per se, ait Ursinus, sect. VIII. c. 4. comparati-
„va nullum regunt casum, sed ablativus rei superarae
„pendet a praepositione comparativa PRAE; ut recte
„Sanctius, Scioppius, Perizonius, auctor methodi.“

Uno itaque ore de causa huius ablative consen-
tiant, uno ore negant comparativa casum regere ul-
lum. De posteriori quidem et nos consentimus, de
priori non item. Ut enim ceteri omnes ablative, ita
et hic comparationis ab ea, quam ubique exprimit,
relatione pendet. Est autem triplex vis ablative, ut
iam antea diximus. Primum enim denotat locum A, in
quo, seu ubi; deinde locum AB, a quo, seu unde; de-

nique locum AC ultra A. (B — ^A C) Praepositiones
itaque a, in, ultra seu p̄ae, et aliae, (vid. n. 11.) neque
in comparisonis ablative latent, neque supplendae; sed
casus hic suo per se munere defungitur. Et ut nemo est,
qui dicat, in amor patriae genitivum aliunde quam a rela-
tione quadam pendere; similiter non alia est ulla causa
ablative comparationis, nisi quaedam rei vel personae supe-
ratae ad rem vel personam superantem relatio.

Denique si universam ablative naturam intellexe-
ris, non miraberis, quod in exemplis n. 8. c. plures
ablative concurrunt. De aetate explicanda, in qua,
quia veteres mirum in modum sibi indulserunt, maxi-
ma structurarum diversitas est, cf. Ursin. Sect. VIII.
p. 117, seqq.

B. De regimine verborum.

§. 84.

Omnē regimen, quoniam est orationis partium
inter se compōsitio, quaedam est carundem partium
relatio. (§. 70. 72.)

Omnis vero nominis ad nomen diversum relatio
significatur casibus, (§. 80. seqq.) quorum vis atque na-
tura una esse debet atque eadem.

Hoc igitur de regimine verborum caput non ita
mit. Itum poterit ab antecedente differre. Quod quidem
eo penitus perspicitur, si verbum, ex quibus parti-
bus

bus consistit, in eas dissecatur. Etenim memini numerorum, idem valet ac: *ego sum memor numerorum*. Verbo itaque tota quasi propositio continetur, casusque rectus additum quoddam nomen est, quod nihilo magis a verbo pendet, quam substantiva addita ab adiectivis. Igitur tota res in relatione posita est. Aliter Sanctius, eiusque commentatores, aliter Bangius, Alvarus, Ursinus, et alii, qui in omni fere constructione verborum cum nominibus explicanda ad substantivorum vel particularum omissarum opem confugere solent. Sed cum verba et substantiva prius inventa putentur, quam particulae; vel ante particulas ortas utriusque vocabulorum generis compositioni, igitur et rectioni locus fuit. Licet quidem interdum ad ellipses provocari, propterea quod quavis in lingua reperiuntur, sed omnibus in locis explicati difficultoribus, qui ubique sunt, nequaquam licet. At vero licet, dummodo ne quis obtineat, Romanos ipsos, quoniam passim apud eos quaedam quasi supplementa orationis occurtere videntur, ideo omnibus in locis similibus ellipses has agnovisse atque esse sectatos. Nam ex plerisque locis, quae e. g. proferuntur, intelligi potest, vocabula a priscis ipsis addita modo vim verborum augere, modo minuere, modo sensum reddere clariorem, modo eundem plane mutare. Liceat itaque omnino per has et has praepositiones aliasque voces sensum eruere, ac locutiones obscuriores interpretari, sed aliud est interpretari locum, aliud contendere, quasi scriptores ipsi de industria vocabula haec omisissent. Nos itaque ipsi, si opus erit, in constructione exponenda haec supplebimus atque illa, nec tamen quasi scriptor ἐλειπτικῶς locutus esset, sed ut περὶ Φεστινῶς sensum locutionis erimus.

Sed iam ad ipsam verborum cum casibus nominum obliquis constructionem accedamus, primumque videamus, unde genitivus verbo iunctus pendeat? Solent vero de verborum cum genitivo constructione octo recensere regulas, primam de verbo *sum*; secundam de verbis *aestimandi*, et *mercandi*; tertiam de verbis *acusandi*, *dammandi* et *absolvendi*; quartam de verbis *memoriarum*

moriæ et oblivionis; quintam de verbis quibusdam *animi affectionem significantibus*; sextam de verbis *interest et referit*; septimam de verbis nonnullis *more Graecorum cum genitivo constructis*; octavam addit Vossius de verbis *cum nominibus urbium*. De his omnibus, quam poterimus brevissime, exponemus.

§. 85.

De genitivo verborum.

I.

Verbum *sum* genitivum adsciscit, cum significat

a. *possessionem*. *Hoc pecus est Meliboei*. Virgil. *Iam me Pompeii totum esse sis*. Cic. *Illud Meliboeanum, hoc Pompeianum valet, uterque itaque genitivus loco praedicati est, sed intelligent in his negotiis, ut Graeci* *Xenoph.*

b. *exigentiam*. *Fortis animi est et constantis, non perturbari in rebus asperis*. Cic. offic. *Genitivus rursus loco praedicati est, sed rursus intelligunt res seu negotium.*

c. *officium*. *ut, adolescentis est maiores natu vereri*. Cic. *ut antea ita hic vereri maiores natu loco subiecti est, et genitivus adolescentis indicat id, quod rei aut personae proprium est aut esse debet*. Unde per se patet, dicendum esse cum Ovidio et aliis: *vestrum est dare, vincere nostrum*. (Pro quo fortasse Cicero: *Vestrum est ut detis, ut vincamus nostrum*.) *Eiusmodi autem infinitivos loco substantivorum esse, vel ex iis locis appetat, ubi pro infinitivis substantiva posita sunt, ut, tua est indicatio, pro, tuum est indicare*, Plaut. *Utrum e republica sit, quod ad vos fertur, vestra est existimatio*. Liv. *pro vestrum est existimare*. Intelligent in his *munus seu officium*. Unde Ursinus sect. 8. c. 9. „Cicero plenius dixit: *Hoc proprium tuum munus est, ut ita erudiatur, ut et patri et Scipioni nostro et tibi tam propinquuo respondeat*.“ Sed quis est, quin emphatic sentiat?

d. *pro-*

d. proprietatem aliquam. ut, tardi ingenii est, rivulos conjectari, fontes rerum non videre. Cic. Quem genitivum, quamquam per se intelligitur, attamen supplet per proprium, (opus seu negotium,) et citant hunc Cic. locum: *Sapientis est proprium, nihil, quod poenitere possit, facere; vel hunc; non horum temporum, non horum hominum et morum est negotium.* Cic.

e. Cum denique hoc verbum animi aut corporis affectionem significat, nunc genitivo iungitur, nunc ablativo. ut, erat puer acris ingenii sed ambigu. Plin. Nullius consilii sum. Id. Cicero erat tenuissima valetudine. Caes. Interdum etiam praepositio additur: *Esse in magna spe; in eadem opinione; in magna moestitia.* Cic. In his usum consule, et vide quid perspicuitas orationis requirat, nam *esse magnae spei, et in magna spe,* differunt.

Iam supra huius constructionis rationem reddimus, nunc pauca de eadem ex Ursino repetemus: „Cum genitivo quando construitur *sum* in descriptione „rei vel personae alicuius ex affectione seu qualitate „sua, a specie ad genus, vel ab individuo ad speciem „adscendendum, atque inde causa constructionis arcet „fenda; ut si dicatur, *ab rotundum est iucundi odoris, in* „*telliges herba; est bonae indolis, puer vel puella, vir* „*aut femina; est maioris animi, quam consilii, homo;* „*est amplissimi corporis, bos sine iumentum.* — Cum „de certo singulari subiecto dicatur esse puerum bo- „nae indolis, liquet hinc, verba puer bonae indolis ap- „positum verbi substantivi constituere, non suppositum. „Quodsi dicas *hic puer est bonae indolis,* repetendum est „ad praedictum idem nomen, quod praecessit, ut sit „integre: *hic puer est puer bonae indolis.* Cum ablativo „constructum *sum* praepositionem aliquam subaudiens „dam requirit, *a* sine *ab*, cui commode alicubi adiici „potest *praeditus* sine *instructus.* „ Damus haec omnia atque largimur, sed hoc est locutionis sensum enucleare, non constructionis rationem reddere.

2.

Verba aestimandi, pretii, et mercandi, cum genitivo confluuntur.

a. Verba aestimandi cum genitivis magni, (numquam vero multi,) permagni, maximi, pluris, (numquam vero maioris,) plurimi, parvi, minoris, minimi, tanti, tantidem, quanti, quanticunque, quantilibet, genitivis: ut, *maximi debemus aestimare conscientiam*. Cic. Plura exempla in gram. obvia.

Eadem verba (maxime facio) etiam cum genitivis *assis, flocci, lnius, nauci, nihil, pili, teruncii, pensi*. Ut, *non habeo nauci Marsum augurem*. Cic. *flocci non fecit fidem*. Plaut. *non esse nauci*. Id. *Nihili eum facit*. Cic. *omnes unius aestimenus assis*. Catull. *Neque fas, neque fidem pensi habere*. Tacit. (nam *pensi esse, habere, ducere, praecedente non, neque, nihil, minus, usurpantur*.) Huc pertinent etiam *aequi bonique facio, et boni consulo*.

Verbum *aestimo* cum ablativis etiam *magnō, permagno, parvo, nihilō*. ut, *Data magno aestimas, accepta parvo*. Senec. Observant, cum substantivum accedat, hos potius usurpando esse ablativos, quam genitivos, ut *magnō ubique pretio aestimatur virtus*. Valer. Max. Dicitur etiam *pro nihilō ducere, habere, putare*.

b. Verba pretii (valere, constare, esse, fieri) cum iisdem genitivis magni, parvi, tanti cet. Ut, *magni mihi tuae erunt litterae*. Cic. *Pluris est testis oculatus unus, quam auriti decem*. Plaut. Notae elegantiae sunt *est tauri, non est tanti, cet.*

c. Verba mercandi (emere, redimere, mercari, comparare, vendere, destinare, dare, multaque alia,) cum iisdem genitivis magni, parvi cet. ut, *eas aedes quanti destinat*. Plaut. *Quanti addictus? mille nummūn*. Cic. *Quam illud minoris veneat*. Id. Apud Juvenal. 17. legitur: *Tenta, Chrysagonus quanti doceat, vel Pollio quanti*.

Verbis pretii et mercandi adduntur et alii substantivorum genitivi, occurrit enim *constare, vel valere decussis; emere centussis* cet.

Denique

Denique iisdem verbis saepe numero ablativi magno, permagno, parvo, paulo, paululo, plurimo, nimio, minimo, vili, dimidio, duplo, aliisque absolute adduntur. Sed in omnibus his usus in primis consuetendus est, etenim non quivis genitivorum cuivis verborum, quae recensita sunt, adiici potest.

d. Mira fuit Grammaticorum in caussis harum constructionum exponentis sedulitas. Usquequaque ellipses quaerunt, et supplent, idque haudquaquam manu avara. Audi Ursinum vestigiis ceterorum insistentem: „Genitivi illi magni, permagni cet. cum verbis aestimandi, pretii et mercandl, supplentur pro natura sua, cum sint adiectivorum, (?) nominibus substantivis pretii, aeris, ponderis, momenti, sensui convenientibus; quae substantiva rursus ab aliorum substantivorum vel accusativo, v. gr. *rem*, *hominem*, *virum*, aut simili, qui in verbo passivo modi finiti transit in nominativum; vel ablativo a praepositione pro recto, ut *re*, *recio*, *aere*, *pondere*, *impendo* fulciuntur. Ergo cum dico, *magni aestimo*, erit integrum *aestimo hanc vel illum rem*, *hunc vel illum hominem magni pretii*; aut *aestimo hanc vel illum rem*, *hunc vel illum hominem pro re vel hominem magni pretii*. — Quo posito fundamento quaevis huius generis iam facile suppleveris. Verbi gratia *quanti hoc emisi*, supplebis *quanti aeris pretio seu pondere*, sive inversim *quanti pretii sive ponderis aere*. *Facere flocci*, *pendere nihil hominem vel rem*. cet., — Accuratus de eadem re Bangius disputat: „Negari vix potest, quin alieni genitivi illi absolute neutro genere usurpentur, (bene,) veluti genitivi substantivorum *nunci*, *flocci*, *nihil*. Quo fit ut illud Plauti: *pluris est testis oculatus* cet. vix ausim supplere et dicere *pluris pretii*, quia needum probatum est, aliquem Latinorum ita locutum esse.” Obiicit Ursinus, Sallustium Jurguth. 85. diferte dicere: *neque pluris pretii coquum quam villicum habeo*, quasi Sallustius hac locutione normaliter genitivos illos supplendi constitueret. Pergit Bangius: „Idem sentire licet de genitivis *magni*, *parvi* cet. additis verbis *aestimandi*, *pendo*, *duco*, quos commodius absolute instar genitivorum, quibus gaudent

dent substantiva *nauci*, *nihili*, *compendii* et *usurpari* dixeris in neutro genere, quam geminae vel tergeminæ ellipsoes legi subieceris, et ex. gr. *magni aestimo* expuleris *rem magni pretii aestimo*; vel *pro magni aeris pretio*, vel denique *pro re magni pretii aestimo*; ipsim cum nuspam evidenti auctoritate demonstratum intelligas, Latinos hoc loquendi genere usos esse. Ad sentior Bangio, omnesque illas ellipes capitis condemno, quoniam, ut dicitur *homo nauci*, (§. 79. 1.) ita et dicitur hominem *magni aestimare*.

3.

Verba accusandi, damnandi et absolvendi plerumque cum genitivo criminis aut poenae construuntur, interdum cum ablativo, interdum aliter.

a. Cum genitivo, ut, *Piso accusat Germanicum luxus et superbiae*. Tacit. *Tamen in hoc te deprecor, ne meum hoc officium arrogantiae condemnes*. Cic. *Index eum absolvit iniuriarum*. Auct. ad Herenn. Innumera huius generis verba reperiuntur, quae non iudiciorum modo sunt, sed private etiam sententiae.

b. Fere eadem verba et ablativum adsciscunt modo sine modo cum præpositione; ut, *crimine Pario absens est accusatus*. Cornel. *de epistolarum negligientia accusare*. Cic. *si iniquus es in me iudex, condemnabo eodem ego te crimine*. Id. *Condemnari de alea*. Id. *Ego me eti⁹ peccato absolvo, suppicio non libero*. Liv. *Abfolvi de prævaricatione*. Cic. *Ita quoque anquirere capite*. Liv. *Iudicio capitis arcessere*. Cic. *In pari peccato convinci*. Cic. *Homicidio convinci*. Plin. *Plecti capite*. Cic. *In re aliqua*. Cornel. *De repetundis postulare*. Caelius ad Cic. *Repetundis postulare*. Sueton.

Nunquam cum genitivo criminis vel poenae *appellare*, *compellare*, *culpare*, *excusare*, *expostulare*, *multare*, *periclitari*, *punire*, *quaerere*, *inquirere*, *solvere*.

c. Sunt alia huius generis verba, quae aliter construi solent, maxime cum accusativo criminis. ut *carpare*, *corripere*, *culpare*, *reprehendere*, *fugillare*, *taxare*, *traducere*, *vituperare*, *calumniari*, *criminari*, *excusare*,

sare, punire, multare. Dicitur enim culpare alicuius pertinaciam, reprehendere avaritiam, fugillare parsimoniam, taxare ambitionem, traducere furtum, criminari potentiam. Ita etiam accusare inertiam adolescentium. Igitur et hic videndum est, quid usus requirat.

d. In genitivis, qui hisce verbis iunguntur, pro natura phraseon alium atque alium ablativum, ut *scelere, peccato, causa, iudicio, actione, culpa, poena, nomine* et sic porro, intelligendum censem Linacer, Sanctius eiusque commentatores, Vossius, Ursinus. Ursinus in investiganda harum constructionum causia item ita diuidicat: „Longior ne sim in re plerisque doctiorum iam „indubia, teneamus illud, alium atque alium ablativum „sensu convenientem in eiusmodi genitivis commode „subaudiri posse. Ita concise dicitur ex. gr. *arguere de* „*veneficio*, plenius *arguere de crimine ve-* „*neficii*, et per ellipsis *arguere beneficii*, atque eodem modo *damnare sceleris, absolvit parricidii*, et alia. In „*damnare capitum vel causa, iudicio, vel poena*, quod „malum, subaudies; in *damnari voti, urgeri multorum* „*criminum, causa, ergo; interrogari facti alicuius nomine*; in *postulare repetundarum, teneri furti actione, culpa vel iudicio*, et sic porro, nam in multis nihil refert, „hunc an illum ablativum intelligas.“ Unus Vossius (I. de Latinitate merito suspecta c. 19.) paulum dissentit, credit enim genitivum hunc a Graecis profectum esse, evenas in talibus subaudientibus, et si quid in *damnari furti, capitum subintelligi placeat, subaudiendum esse nomine*. Mirum fortasse cuiquam videatur, quare grammatici ad hos ablativos *nomine, crimine* aliasque profugant, cum, iis receptis, nova ratio ablativorum reddenda sit. Sed id facilius factu, ablativi enim, ex eorum sententia, a *praepositionibus* pendent, quibus abundamus. Nos omnia haec mittimus, et ad naturam provocamus geniti, qui per se causam vel respectum vel simile quid significat; et hoc eo libentius, ne tota lingua ex ellipsis constare videatur. Ut itaque *reus avaritiae* dicitur, ita *accusari furti*, uterque genitivus a relatione pendet.

4.

Verba memoriae et oblivionis modo genitivum modo ablativum adsciscunt, ut, *Ipse iubet mortis te meminisse deus*. Martial. omnium iniuriarum *oblivisci*. Cornel. Numeros *memini*, si verba tenerem. Virgil. *Res praeclarissimas oblivisci*. Cic. *Memini et cum accusativo personae, ut memineram Paulum*. Cic.

Memini et recordari etiam cum de construuntur. *de Plancō memini*, si recordari de novis hominibus volueritis. Cic. Notant verbum *meminisse*, cum idem sit ac *mentinem facere*, cum genitivo quidem et de construi, cum accusativo non item. *Neque omnino huius rei meminit usquam poeta de quibus multi meminerunt*, Quintilianus sunt.

His iisdem verbis interdum adduntur ablativi *memoria* vel *animo*, ut *meminisse*, *oblivisci memoria*. Plaut. *reminisci animo*. Ovid. quibus ablativis quasi locus ubi, indicatur. Cicero vero ita: si cum *animis vestris recordari C. Staleni vitam et naturam volueritis*. Quasi homines ad quos orationem (pro Client.) habet, et eorum animi diversi sint.

His verbis adfinia sunt *monere*, *admonere*, *commone- nere*, *commonefacere* vel *huius rei*, vel *hanc rem*, vel *de hac re*; et illa locutio: *venit mihi in mentem*, vel *huius rei*, vel *haec res*, vel *de hac re*.

De causa huius genitivi iam in praefatione huius capituli exposuimus. Sed Ursinus: „substantivum, unde „genitivus regatur, animo concipiendum omnes penitus „causas linguae scrutati consentiunt. — Ergo memini „beneficii, ut Vossius sentit, valet: *memini memoriam* „*beneficii*, vel *de memoria beneficii*, ceterum quomodo superplet ipse Cic. pro Arch. in hoc pueritiae *memoriam recordari ultimam*, vel *de memoria pueritiae recordari*. „scilicet vides genitivum investigatum.

5.

Verba, quae animi affectionem significant, cum genitivo construuntur.

a. In hoc genere sunt in primis haec tria: *miseror*, *miseresco* et *satago*. Ut, *Qui misereri mei debent, non desinunt*

nunt invidere. Cic. *Miserescite regis*. Virgil. *Is rerum suarum satagit*. Terent. Sed Geil. 9. 2. *consulibus de vi ac multitudine hostium satagentibus*. (Non opus est cum aliis emendare *satis agentibus*, etenim *de saepius vim genitivi exponit*.)

b. Huc pertinent quoque miseret, miserescit, poenitet, pudet, piget, taedet. *Nonne te miseret mei*. Terent. *Suas quenque fortunae poenitet*. Cic. *Sunt homines, quos infamiae suae neque pudeat, neque taedat*. Id. *Piget, actorum sine fine mihi, sine honore laborum*. Ovid. *Accusativus personae non raro omittitur; ut, prorsus vitae taedet*. Cic. Pro genitivo rei infinitives legitur: *ut, non me hoc dicere pudebit*. Id.

c. Alia cum eodem casu, maxime apud poetas. *Quae cupunt tui*. Plaut. ita et Terent. (ut *cupidus tui*.) *Nec satis exaudiebam, nec sermonis fallobar tamen*. Plaut. (i. e. respectu sermonis vel quod ad sermone in attinebat.) *Faslidit mei*. Id. *successorum Minervae indoluit*. Ovid. *laetari malorum*. Virgil. *Inflitiae mirari*. Id. Haec et id genus alia, quamquam ex natura et vi genitivi explicatu facilia sunt, tamen haud sunt imitanda, usus enim vetat. Inprimis vero vide, utrum eadem verba *aliter* constructa *eandem vim retineant*. Ceterum et apud Ciceronem *invidere* cum genitivo occurrit et apud Livium *ingenere seu ingemiscere* cum eodem casu.

Occurrit etiam *animi se angebat; despiebam mentis; discrucior animi*, multaque alia huiusmodi apud Plautum et alios. *Ego vehementer animi pendeo; pendemus animis*, apud Cic. (illud quando de uno, hoc quando de pluribus sermo est.) apud eundem Ciceronem: *Audiō te animo angi*. Sed haec omnia non tam *respectum* notant, quam *locum ubi*, et ut dicitur, sumi *Corinthi vel Athenis*, similiter *animi angi* (ut Plaut.) vel *animo* (ut Cic.) Hoc ita se habere vel ex hoc Ciceronis loco discere potes: *pendeo animi de te et de me*.

d. Magnus est de cauſis harum constructionum inter grammaticos dissensus, alii enim aliter supplent, nam semper supplendum est! Vossius quidem (c. 27.)

p. 101.) „Causa eius sermonis non est, quod affectum verba regant genitivum: sed quia, cum comprehendio et elegantiae studerent Romani, nomen omitterent substantivum, unde genitivus regeretur. Nam misereri, indolescere, fastidire, vereri alicuius, dixerat pro alicuius causa. Ac similiter miseret, pudet, piget fratri pro fratre ergo, sive fratre nomine vel gratia. Ceterum, idque dicit more Graecorum fieri, verbis affectuum *χαρά* seu *έρεσις* addentium. At vero c. 32. horum eum supplementorum poenitet, dicit enim: possis etiam supplere hoc modo, misereri misericordia alicuius, fastidire ullius fastidio ceterum. Igitur sibi ipse non constat. Alii ut genitivum hunc fulciant, pro re nata aliud atque aliud substantivum sensui maxime convenientis intelligunt: „In angere, discruciori, excruciori animi, dolore seu solitudine; in despere mentis, errore; in fallit me animi, mens sive cogitatio vel rursus error; in fastidit mei, non negotium cum Perizonio, sed causa; ceterum.“ Ursin. sect. VIII. p. 227. seqq. — Ipsarum itaque genitivi functionum rationem habuerunt plane nullam. Multo plus negotii facelessse videntur impersonalia, quae pathetica dicunt. Plerique, qui causas linguae penitus perspexisse putant, cum Prisciano faciunt. „Hoc, inquit, sciendum, impersonalia, quae accusativo simul casui et genitivo copulantur, ut pudet me tui; similiter poenitet, taedet, miseret, accusativo quidem significare personam, in qua sit passio, genitivo vero illam, ex qua sit actus. Neque est mira huiusmodi ordinatio, quum in eosdem casibus resolvitur: est enim pudet me tui, pudor habet me tui; taedet me tui, taedium habet me tui; poenitet me tui, poenitentia me habet tui.“ Quem quidem locum Sancius aliter interpretatur, aliter Ursinus. Sed mittimus haec, non enim opus est, quaerere in scirpo nodum.

6.

Cum genitivo construuntur *interest* et *refert*.

a. Signi-

a. Significant vero duo haec verba *pertinere* seu *attinere ad*, vel *e re alicuius esse*, *prodeesse*, *utile esse*, *expedire*, *in servire*.

b. Pro supposito modo *pronomina neutra* recipiunt, modo *alios genitivos personae*, modo *verbum finitum* *sen aliquod orationis membrum*. Ut, *Quid tuā refert*. Terent. *Illud meā magni interest*, *te ut videam*. Cic. — *haec varietas maxime refert*. Lucret. — *Quamquam magni ad honorem nostrum interest*, *quam primum ad urbem me venire*. Cic. *Reipublicae interest conservari litteras*. Id.

c. Iunguntur genitivis, ut *interest eius*, *ipsius*, *istius*. Cic. *Illorum refert*. Sallust. Jug. III. Plurimum *refert compositionis*, quae quibus anteponas. Quintil. *Reipublicae semper interesse* putavi. Cic. Sed loco *primitivorum mei*, *tui*, *sui*, *nostri*, *vestri*, *possessiva mea*, *tua*, *sua* cetera adhibentur. Et *med* et *tud* maxime *interest*, *te valere*. Cic. *Tud* quod nihil *refert*, percontari desinam. Terent. Id *med* minime *refert*, qui sum *natu maximus*. Id. *Vehementer vestra* *refert*, qui patres estis. Plin. iun. (Itaque nec *mea natu maximi minime refert*, nec *vehementer vestra patrum refert*.)

d. Iunguntur et genitivis *magni*, *permagni*, *parvi*, *pluris*, *tanti*, *quanti*, non item *reliquis*; dicitur *potius magis*, *maxime*, *multum*, *plurimum*, *minus*, *minimum*, seu *minime* *interest* vel *refert*. Aliaque sunt adiectiva neutra et adverbia ad utriusque verbi significationem aut intendendam aut minuendam, ut *aliquid*, *quiddam*, *nihil*, *tantum*, *quantum*, *tantulum*, *quantulum*, *infinitum*, *parum*, *paululum*, *magnopere*, *tantopere*, *vehementer*, cetera. Verb. gr. Utriusque nostrum *magni* *interest*, et *magni* *interest* Ciceronis, vel *mea potius*, vel *mehercule utriusque nostrum*. Cic.

e. Eadem haec verba recipiunt etiam *praepositionem ad*. Ut, *magni interest ad decus et laudem huius civitatis*, ita fieri. Cic. Refert etiam *ad fundi fructus*, *quemadmodum vicinus in confinio consitum agrum habeat*. Varr. de r. r. 16. Loca, in quibus *dativus utriusque verbo iunctus videtur*, aliter leguntur, sed in Horatii (Satyr. I. I. 49. 50.) illo constantius exhibetur: *Quid referat*

referat intra naturae fines viventi. Chabotius mavult viventis.

f. Iam ad caussas harum constructionum. Aceriter olim disputatum est, utrum possessiva *mea*, *tua* cet. ablativi singulares feminini, an accusativi plurales neutrius generis sint? Pro illa sententia stat Priscianus, Saturnius, Vossius, Bangius, auctor novae methodi, Valla, Alvarus; pro hac Donatus, Scaliger, Sanctius, Scioppius, Perizonius, Ursinus. Nos pauca ex Vossio et Sanctio repetemus. Vossius de constr. 29. ita: „Priscianus l. 17. vult *mea*, *tua* cet. esse ablativos, atque addit, subaudiri in *re*: nam *interest* vel *refert* meā, valere *interest* vel *refert* in *re* *mea*, hoc est utilitate meā. „Quomodo legimus in *re* *mea* est, pro *refert* vel *interest* *meā*. — Terent. Andr. 3. 3. Si in *re* est utrique, ut *flant*, *arcessi* iube. Eundem casum esse censet, cum Laurentius Vallensis, tum Augustinus Saturnius. (3. 17.) Ego de casu horum sententiae subscribo: atque, ut alia omittam, vel Jambicus ille Terentii, (Phorm. 5. 8.) iam ab aliis adductus, nodum mihi solvere videtur: — — *Vos* *me* *indotatis* modo *Patronari* fortasse *arbitramini*: *Etiam* *dotatis* *soteo*. C. quid id *nosta*? P. nihil. Ubi metrum claudicabit, nisi *nosta* fuerit ablativus. Aliter etiam hoc evincitur. Nam Plautus *mea* supplet, addito substantivo *gratiā*. Sic enim ait Persa 4. 3. 68. *Mea* *istuc* *nihil* *refert*, *tuā* *refert* *gratiā*. Ergo *meā* *refert*, vel *interest*, valeat *refert*, vel *interest* *mea* *gratia*, sive addita praepositione, quae desideratur, *mea* *de* *gratia*, h. e. *mea* *de* *caussa*. Ex his quoque non obscurum erit, quomodo supponda sit ellipsis, cum in genitivo dicitur: *interest* vel *refert* *naturae*, *hominum*, *Reipubl.*, *parvi*, *pluris* cet. Nam si *gratia* vel *caussa*, aut simile, intelligitur in ablativo *mea*, *tua*, quid impedit similiter hic genitivos regi a *caussa* vel *gratia*? Ita *interest* Ciceronis, valeat, Ciceronis *gratia*. *Refert* *civium*, fuerit, *civium* *caussa*. Nempe, ut Graeci solent intelligere ξάγην vel ἔνεσην. Quamquam possit et cum Prisciano supponere in *re*. Haec Vossius. Uritur igitur dupli argumento, alterum petit

petit ex ratione metri, alteram ex ratione ellipsois, cuius se supplementum in illo Plautino deprehendisse eredit. Utrumque reicit Perizonius ad Sanct. III. 5. aliterque supplet: „Latinissime et quam planissime dicitur, hoc interest inter mea aut illius negotia, et hinc contractius: Hoc interest mea, aut illius. Similiter refert mea concilius dicitur pro refert se ad mea negotia, et refert se h. e. pertinet seu attinet ad, ceterum, Breviter meam sententiam dicam. Genitivi illi, qui verbis interest et refert iunguntur, satis superque declarare videntur, si quid omissum sit, gratia, causa vel simile quid esse omissum. Deinde possessivorum (*mea, tua* ceterum *pro mei, tui,*) hic eadem ratio esse videtur, quam supra vidimus in *mea, tua causa*. Praetereaque genitivi et ablativi perpetua permutatio est, ut itaque supra legebatur: *adolescens eximia spe, summae virtutis*, ita hic: *et mea et recipiunt interest*. Denique ne unus quidem locus in scriptoribus reperitur, ex quo Perizonii supplementum comprobari possit. Contra passim loca sunt, ubi voces *gratia, causa, respectu* omissae sunt, quoniam additae vim genitivi clariorem modo reddunt.

7. 8.

Sunt denique verba, quae mores Graecorum cum genitivo construi dicant. Moris enim est, quidquid ad certum aliquod grammatices caput revocari haud posse videtur, id in Graeciam ablegare. Sunt vero plerique Graecismi, de quibus Vechnerus praecipit eiusque commentator Heusingerus, eiusmodi constructiones, quae generalibus utriusque linguae regulis subiectae, apud Latii scriptores aequo occurruant, ac apud illos Graeciae. Genitivum enim verbis saepenumero iungunt Graeci *absoluta*, h. e. *evenia, Χαρην*, aliasque id genus voces omittunt, quae, si adduntur, perspicuitati omnino interfundere solent: sed omittunt, idque suo iure, quia genitivus *per se* huius significationis est. Romani vero, quorum genitivus fere eiusdem est naturae, eodem utuntur iure et has omittunt voces atque illas, quae, si adderentur, sensum omnino reddenter dilucidiorum. Atqui si has omittunt, graecissare Latinos;

fin

fin adiiciunt, recte, iuste, Latine loqui grammatici dicunt. Suppeditabimus itaque aliquot eiusmodi hellenismorum: Abstineto irarum calidaeque rixæ. Horat. Od. III. 27. Define mollium querelarum. Id. Od. II. 9. Desistere pugnae. Virgil. Cui omnium rerum ipsius semper credit. Plant. Asin. II. 4. cet. Usitatus abstinere, desinere ab aliqua re, desistere de vel a cet. Omnia haec non tam Graeciam, quam antiquitatem redolent, cuius poetae amantissimi sunt; at vero et in oratione prosa exempla occurunt. Liberari curae, apud Ulpian. et Liv. dominationis adipisci, apud Tacit. potiri rerum i. e. summam imperii tenere, apud plures; quiescere pugnae, apud Gellium; cavere, promittere damni infecti, apud Cic. Videndum itaque est, quid usus velit, quid nolit. Ut autem videoas, quemadmodum suppleant, unum itemque alterum exemplum ex Ursino transcribam: Abstineto irarum dictum est ἐλλειπτικῶς, pro abstineto te a negotio irarum; liberari curae est liberari curae molestia cet.

De casibus nominum urbium infra disputabitur separatim.

§. 86.

De dativo verborum.

Quae sit dativi vis nativa, iam supra vidimus. (§. 81. a. b. c.) „Ubique casu hoc significatur accusatio, nam ultimum finem significat; quare iam compositae et structae orationi potest accedere, numquam regitur, neque ab activo, neque a passivo, et numquam est rei agentis.“ Sanctius H. 4. ab init. Ut vero in genitivo, ita in hoc etiam casu, certa quedam verborum genera recensentur, quae dativum dicuntur regere. Quid hoc sibi velit, cum iam satis constet; morem Grammaticorum sequemur et de *dativo verborum* praecipiems. Si vero ullo in casu attendi opus est, quae primaeva sit verborum significatio, quae in contexta cogitatorum serie, quomodo Latina lingua a vernacula quaque discrepet, quid usus ferat, quid vetet,

tet, quid melioris aevi sit, quid casus ipsius natura requirat; dativus certe est.

I.

Cuilibet verbo iungitur dativus rei aut personae, cui aliquid vel acquiritur vel admittitur, aliter: nullum verbum est, cui per modum acquisitionis aut ademptionis dativus iungi nequeat. Sed alio sensu dicitur *doceo tibi*, alio *doceo te*, illud enim est in usum tuum, et quid hoc sit, fatis notum.

Occurrunt vero loquendi formulae, in quibus dativi natura magis perspicua est, ut, *mihi gaudeo*. Cic. *si quid peccat, mihi peccat*. Terent. *Quicquid apud Caesarem valebo gratia, tibi valebo*. Cic. Quo in dativo saepe inest magna emphasis, (vid. Perizon. ad Sanct. II. 3.) qua nec loca carent, in quibus dativus iste prorsus abundare videtur. ut, *Tum mihi undique clamore sublato turbam invadite*. Liv. In eodem genere sunt *cupo, volo tibi*, quae benevolentiam ac favorem aliquem significant.

Longam illam seriem verborum dativum regentium (ut illorum dandi, imperandi, narrandi, obediendi cet. cet.) de industria omittere. Haec enim omnia, dummodo non ignores, quid maxime attendendum sit, melius veterum scriptorum lectione discuntur, quam regulis grammaticis. Praeter haec vero alia sunt, quae, quamvis ad regulam generalem revocari possint, tamen separatim exhibentur.

2.

Verba substantiva, habendi significatione adsciscunt dativum. ut, *est mihi curta supellex*. Pers. An nescis longas regibus esse manus. Ovid. Quid animi creditis, illi misero fore. Id: Natura tu illi pater es, consiliis ego. Terent. Variant has phrases verbo *habere*, at utique non ausim, dativo enim deleto, deletur etiam nota aut utilitatis, aut noxae. Deinde facile intelligis, hanc de verbis substantivis regulam ad generalem et posse et debere referri. Denique confer, quae supra dicta sunt, (§. 81. I.)

Huc

Huc pertinet etiam formula nominandi; ut, *Hecyra* est *huius nomen fabulae*. Terent. *Theoxena* et *Archon* nomina *his mulieribus erant*. Liv. Haec eadem vero formula et alter effertur, ut, nomen *Mercurii* est *mihi*. Plaut. (§. 80.) *Troiae* et *hunc loco nomen est*. Liv. 1. 1. et ibi Gronov. — („Quod ex L. Pisonis verbis; quia Tarquinium nomen esset, observat Gellius 15. 9. dici quoque posse, *michi est nomen Julianum*, sua nuntitatur analogia.“ Ursin. l. c. p. 254. Vide supra §. 80. 1.) Denique ita: Cui postea *Africano cognomen ex virtute fuit*. Sallust. lug. 5. *Filius Artabazi*, cui *Iulio-neo* nomen fuit. Curt. 3. 13. Observant grammatici, ultimam hanc nominandi formulam elegantiores esse atque usitatiorem, deinde *Africanum esse dative*, qua de re plane dubito, eiusmodi enim datus totam dative naturam tolleret et perverteret. quis enim est, quin videat, *Africino esse ablativum* atque idem denotare, ac *a populo Africano?* In illo Virgilii loco: *Cui nunc cognomen Julo est*, *Julo* idem denotat ac *a gente Julia*, seu a patre, avo, proavo *Julo* est.

3.

Sunt vero verba, quae *geminos adsciscunt dativos*, alterum personae, alterum rei. Id quidem esse potest, quoniam in dative variae insunt notae. (§. 81. a. b. c.) Huc referunt *sum*, *fio*, *habeo*, *tribuo*, *do*, *dono*, *suppedito*, *duco*, *emo*, *comparo*, *mitto*, *cedo*, *verto*, *relinquo*, *venio*, aliaque. *Vitio mihi dant*, quod sero est. Cic. *Tibi umneri misit*. Id. Ut *laudi tibi sit ille tribunatus*. Cic. *venire alicui auxilio*. Liv. *Quod alii vitio vertis*, id tu *tibi laudi ne duxeris*. Varr. *Suppeditare alicui sumtibus*. Terent. quod interpretantur: suppeditare alicui pecuniam ad sumtus.

Datus personae interdum dissimulatur, praesertim in verbis *esse* et *habere*, ut *esse argumento*, *exemplo*, *indicio*, *praesidio*, *praedae* est. in quibus necessario *alicui*, quisquis est *finis cui*, intelligendum est: ut in *habere curas*, *questus*, *sibi*; in *canere receptus*, *suis militibus*, et sic porro.

Huc

Huc etiam male trahunt primum *parere dicto alicui*, quod Gronov. Livio 8. 14. restituit, vulgo enim legitur: *Samnitium dicto pareamus*, et Gronov. emendavit; *Samnitibus dicto pareamus*: deinde *dicto audientem esse alicui*, de quo Periz ad Sanct. IV. 4. not 45. Sed vix crediderim geminos in his locutionibus esse dativos. Quemadmodum enim alicui parere, vel alicui obedientem esse dici queat, facile intelligo, sed unde *dativus dicto?* plane ignoro, mea quidem sententia dicto *ablativus potius est*.

4.

Dativum etiam adsciscunt multa impersonalia, ut accidit, contingit, obtingit, evenit, usu venit, sit, cadit, succedit, cedit, vertit bene, aut male; expedit, prodest, nocet, obest; constat, liquet, latet, patet; libet, licet, praefat, sedet, stat, vocat, cet. Non est, quod exempla addamus, eoque minus, cum ex regula generali (n. 1.) construantur.

5.

Huc porro referunt verba quaedam composita cum praepositionibus *prae*, *ad*, *cum*, *cet*. Sunt vero et haec verba generali regulae consentanea. Nam cum dicitur *remedia vulneribus adlibere*; vel *maius (damnum) anteponeve minori*; vel *opere absoluto fastigium imponere*; vel *salutem P. R. vitae suae praeponere*, quae omnia Cicernis sunt, aut *acquisitio* aut *ademptio* exprimitur.

Sunt vero duo hic observanda. Multa non solum ex his compositis, sed ex illis etiam, quae n. 2. silentio praeterii, praeter dativum, et accusativum postulant, idque vi activa, de qua cap. seq. unde dedere alicui *urbem*; gratulari alicui *gloriam* *cet*. Iste vero accusativus non raro dissimulatur, ut cedere alicui, (i. locum,) detrahere alicui, (i. laudem,) ignoroscere alicui, (i. culpam,) nubere alicui (i. sc.) *cet*.

Deinde scito, eorundem verborum compositorum regimen non esse perpetuum, multaque ex iis alio atque alio casu iungi; id idem in alia quoque verba cadit. Qua de varietate constructionis, quamquam melius lectione

ctione quam praeceptis discitur, pauca tamen exposui-

gimus.

6.

A. Multa verba permutant dativum praepositione aliqua, ut, mittere scribere alicui et ad aliquid; respondere quaeſitis et ad quaeſitum; adesse pugnae et in pugna; inesse alicui et in aliquo; intereffe convivio, et in convivio; suspendere arbori, et in, ex, de. Nec in Antonio defuit hic ornatus; incumbere alicui rei. Plin. ad, vel in aliquid Cic. Caſſ. comparare, conſerere alicui et cum aliquo. Consentio tibi et tecum; conſtat omnibus et inter omnes; conſuēcere alicui, et cum aliquo; quid mihi fiet, quid de me fiet; ſubiicere oculis et ſub ad pectum. ceterum.

B. Alia ſunt, quae promiscue nunc dativum admittunt, nunc accusativum. Caufa huius varietatis non ita ſemper latet, quin, perspecta cuiusvis caſus na-
tura, indagari queat, cf. hac de re Voff. de conſtr.
c. 34. „Pro diversa conſideratione verbi (h. e. pro
„diverſo respectu,) dicimus invidere alicui et aliquem,
„— invidere flori liberū et florem liberū, (ex poe-
„ta Attio apud Cic. Tufcul. Quaef. 3.) — Prius po-
„nitur acquisitive, ut ſententia ſit, male aliquem vo-
„luiffe liberis, eoque incommodum vel damnum dediſ-
„ſe. Alterum ſumitur tranſitive, quia notatur, ab in-
„vidente damnum in liberos redundaffe.,,

In hoc genere ſunt multa composita cum praepo-
ſitionibus *ante* et *prae*, ſed *antevenire* et *praecedere* lon-
ge frequentius cum *accusativo*; contra *antecellere*, *prae-
re*, tutius cum *dativo* conſtrues. Alia composita cum
praepositionibus *ad*, *inter*, *ob*, *sub*; ut attendere aliquem,
et aliquid, itemque attendere alicui vel rei vel personae,
quorum illud Ciceronis et aequalium eſt, hoc aevi po-
ſterioris; *obtrectare laudibus* alicuius et *laudes*, utrum-
que Livii eſt. Alia, praeter hactenus recenſita pete ex
Gram. March. §. 126. Ursin. p. 244. Voff. c. 34. ut
adulari aliquem, Cic. alicui Liv. Cornel. deficit mihi (de-
eſt mihi) et deficit me, (deſtituit me,) utrumque ae-
que tritum; *moderari affectui* et *affectum* aeque uſitata.

C. Alia

C. Alia usitate dativo, obsolete fere accusativo iunguntur, ut *indulgere iram Lucil.* apud. Non. sed *me* in illo Terent. loco: *nimir me indulgent,* dativus antiquus est; *parcere* apud Plaut. *vitam modo sibi ut parcent,* oravisse, Gell. 16. 19. *inservire* apud eundem Plaut. *non est meretricum unum inservire amantem.*

D. Alia pro dativo nunc accusativum, nunc ablative vel cum vel sine praepositione admittunt, ut *acquiescere* alicui, aliquo, et in aliquo; *adhaerere rei*, in re, ad vel in rem; *confidere* alicui, aliquo, in aliquo; *desperare* alicui rei, aliquam rem, de re; *dissentire* alicui, cum, ab aliq. inter se; *incumbere* labori scil. ad, in aliquid Cic. *iungere* alicui, aliquo, ad aliquid, cum aliq. cet.

E. Alia, quorum sub eadem significatione varia est syntaxis, ut *adflare* alicui venenum et aliquem veneno; *circum dare* oppido moenia, Cic. et oppidum castris, Caes. *mactare* deo hostiam et deum hostiā, ita et *impertire*, *induere*, *exnere* et alia.

F. Alia, quae pro diversa significatione structura variant; ut *accedere* alicui, de assensu maxime; *aliquem* seu *ad aliquem*, de adventu; *aemulari* alicui invidentis est, *aemulari aliquem imitantis*; *caveo tibi e.* prospicio tibi, *caveo te ut hostem*, quod et *caveo mihi a te*; *timere*, *metuere*, *formidare* alicui est follicitum esse pro aliquo, aliquem ut hostem; *vacare* alicui rei est operam dare, *ab officio* est otiosum esse, *aliqua re*, ea carere. cet.

7.

Multa denique sunt, quae pro Hellenismis videntantur. Ea in quatuor classes dispescit Vossius, atque exemplis ex Vechneri Hellenolexia petitis confirmat. In plerisque vero, quae Vossius protulit aliisque, dativus vi nativa positus est. ut, *Bello* animos incendit agrestes. Virgil. Parate et vosmet *rebus* servate secundis. Id. Me Albani ducem *bello gerendo* creavere. Liv. Solstitium *pecori* defendite. Virgil. Barbarus hic ego sum, quia non intelligar ulli. Ovid. Incessit *itineri* et *proelio*. Tacit. in quo Perizonius *paratus* supplet, sed

sed perperam. Insidia*e consuli* non procedunt. Sallust. in quo idem supplet *fructae*, aequo perperam. Sed in illo Virgiliano *it clamor coelo* (quod interpretantur per *ad coelum*) dativus explicatu difficilior videtur.

§. 87.

De accusativo verborum.

Rectio*nem accusativi a verbis activae significatio-*
 nis ad *Syntoxin naturalem* referunt, dicuntque, hunc
 unum casum esse, qui certo atque indubitate a verbis
 activae significationis regatur. Est omnino naturae
 mentis humanae maxime consentaneum, ubi actio
 quaedam cogitur, ibi et obiectum aliquod patiens, (in
 quod agitur,) vel effectum aliquem cogitare: sed, ut
 ego arbitror, *significatio huius relationis* plane ab arbitrio
 linguae cuiusque auctorum pendebat. Nihil ita-
 que est, quo accusativus ceteris praestet casibus. Ut
 enim ceteri, ita et accusativus relationem aliquam no-
 tat, atque ab hac ipsa relatione pendet.

Significat vero accusativus a verbo rectus modo
obiectum patiens, modo *actionis* vel *passionis effectum*,
 (quare ab aliis etiam *casus passivus*, ab aliis *accusativus*
 appellatur,) modo *locum*, *in quem actio seu motus fit*.
 cf. §. 82. Obiectum patiens notatur isto: *Bacchus*
amat calles; effectus actionis illo: *Pallio et ipse facit*
nova carmina; effectus passionis hoc: *segetes alimenta-*
que debita dives pocebatur humus; Obiectum et effectus
 hoc: *Studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, se-*
cundas res ornant, adversis perfugium ac solatium prae-
bent; neque dubito, quin in eiusmodi locutione u-
 trumque occurrat: *Quis musicam docuerit Epaminondam*;
 denique locus, in quem actio fit, illis: *praeterire do-*
mum, percurrere loca cet. Hactenus de natura vique
 propria accusativi, iam ad ipsas grammaticae regulas
 accedamus, et videamus, quid *usus*, seu optimorum
 scriptorum auctoritas postulet.

I.

Omne verbum activae significationis adsciscit accu-
 sativum eius, in quod transit actio verbi. Ut, *alit*
aemulatio

aemulatio ingenia. Vellei. *Me amicissime Caesar amplectitur.* Cic. *Gratissimum mihi feceris, si T. Manlium — iuveris.* Id. *Gloria virtutem tanquam umbra sequitur.* Id.

a. Par ratio est neutrorum, cum actio in rem transit, ut ardebat Alexin; accelerare iter, celerare fugam; pergere iter; evigilare libros, Ovid. festinare vestem. Id. properare mortem. Propert. (Hinc et passive; consilia evigilata. Cic. nec virgines festinantur. Tacit.) multaque alia, quae vulgo neutra seu absoluta seu intransitiva quoque dicuntur, cum accusativis occurunt. De natura horum verborum consule Ursin. T. I. p. 415. seq. qui accenset his

„Primum verba substantiva, ut *sum*; deinde verba accidentalē statum seu conditionem rei significantia, „ut *albeo*, *caleo*, *fio*; post verba, immanentem notantia „actionem, quae in eodem subiecto, a quo et in quo „oritur, absolvitur, ut *eo*, *curro*; deinde verba, paſſionem significantia plerumque internam inque subiecto „immanentem et ex se completam, ut *vapulo*, *veneo*, *fio*, „*ardeo*, *ferveo*; verba denique mixta ex actione imma- „nente et passione interna, ut *gaudeo*, *doleo*. „

b. Huc pertinent itaque et ea neutra, quae accusativum suae originis vel cognatae significationis adsciscunt, ut *nocere noxam*; *servire servitutem*; *vivere vitam*. Aliis vero id genus epitheton quoddam, vel pronomen, vel simile quiddam, modum seu determinationem actionis significans, iungi solet. Ut, *sine me hunc furere furorem*. Virgil. *suum gaudium gaudere*. Cael. ad Cic. *consimilem ludere ludum*. Terent. *verissimum ius iurandum iurare*. Cic. Ita etiam, *magnum iter ad doctas proficiisci Athenas*. Propert. *pueritiae memoriam recordari ultimam*. Cic. Plura exempla pete ex Vechneri Hellenolex. Voss. c. 22. Ursin. sect. VIII. c. II. et Gram. Marchic. §. 141. Etiam passive dicitur, *pugna pugnatur*. Cornel. Cic. Sallust. Deinde notant accusativum istum eiusdem originis vel cognatae significationis, verbis neutrī iunctum, non raro mutari in ablativum, vt, *Bene ei*, qui hoc gaudio gaudet. Plaut. *sic ire*, *pergere*, *proficiisci videlicet*, *passum*. *vivere vitā*. Plaut.

c. Eadem

c. Eadem neutra, item deponentia saepenumero hisce accusativis iunguntur: *hoc, id, quid, aliquid, quicquid, idem, illud, nihil, tantum, quantum, pauca, multa, omnia, alia, cetera*. ut, *Xenophon eadem fere peccat. Cic. Id tuus scatet animus. Plaut. Id tibi nullo modo assentior. Cic.*

d. Pro accusativo, quem adsciscit verbum, non raro est infinitivus, vel alia oratio. ut, *tanti non emo, Lai, poenitere*, i. e. poenitentiam. Gell. I. 8.

2.

Impersonalia decet, dedecet, delectat, iuvat, fallit, fugit, praeterit. ut, nihil horum me praeterit. non me praeterit, nos eam rem Ephesi expertos esse. Cic. His verbis male additur oportet, accusativus enim, qui ei iungitur, ad verbum infinitum pertinet. interdum idem verbum cum ut construitur.

3.

Quibusdam etiam compositis additur accusativus. Composita haec plerumque motum ad locum significant. *oraculum adire. Curt. Villam sciens praetereo. Terent. Etiam passim afferimur urbem* (i. e. ferimur ad urbem.) *Virgil. advolvi genua* (i. e. volvi ad genua.) Tacit. Ita quoque *affari, alloqui, aggredi, allatratre aliquem*. Sed frusta causa huius constructionis in praepositione quaeritur, sunt enim omnia haec ad regulam generalem referenda; quin etiam duplex accusativus, quocum haec verba interdum constructa occurunt, a relationibus pendet, quas accusativus exprimit. ut, *copias flumen traduxit. Liv. in quo copias obiectum patiens notat, flumen vero locum, trans quem motus fit. Ille locus Cornelii: gentes, quae mare adiacent, cogitari nequit, nisi spatium aliquod percurras, et iste motus causa est accusativi.*

a. Interdum praepositio verbi compositi per pleonasmum repetitur. Ut *adire ad aliquem. Terent. Caef. aggredi ad opus aliquod. Liv. ingredi in orationem. Cic. traiicere trans. Liv. in quibus usus spectandus est, dicitur enim quod ad me attinet, non quod me attinet; alloqui aliquem, non ad aliquem; incidere in morbum, non incidere morbum. cet.*

b. Sunt

b. Sunt verba, qui cum praepositionibus e seu *ex*, et *prae* composita, cum accusativo construuntur: *Vt egredi urbem; excedere modum; exire muros; praevertitur Hebrum.* Allii contendunt *ex* et *prae* eandem vim, quam *extra* et *praeter*, habere; alii in talibus ellipsis esse harum praepositio- num. *Egredi* fere ubique apud Ciceronem et aequales cum *e* vel cum *ablativo* occurrit, ubi *motus a loco* indicatur; si *motus extra locum*, cum *extra*, ut *extra fines et terminos egredi*; Tacitus vero *terminos aetatis egredi* simpliciter.

4.

Sunt verba transitiva, quae geminos regunt accusati-
vos; unum personae, alterum rei.

a. In hoc genere sunt potissimum verba *docendi, mo-*
nendi, (sed de verbis *monendi* caute capiendum est, quia cer-
tis modo iunguntur accusativis,) *hortandi, orandi, poscendi,*
interrogandi. Exempla pete ex grammaticis.

b. Moneo, *hortor, cohortor, obsecro, accuso, iubeo,*
iubo, adiupo, uidiuto, volo, praeter accusativum personae
adsciscunt illos modo accusativos quos n. 2. c. memini: qui-
bus adde *unum, duo, tria*. Hinc Voss. de constr. 28. „Et
si Cicero dicat: *illud me praeclare admones*, non tamen di-
xero: *errorem me praeclare mones*, sed *erroris*, vel *de er-*
rore.“

c. Nonnulla etiam in *passiva voce* accusativum *rei* reti-
nent, ut doceo, moneo, oro, rogo, posco, edoceo, ad-
moneo, exoro, perrogo, reposco.

d. Plerique ut Sanctius et commentatores, auctor me-
thodi, Vossius, Vrbinus, consentiunt accusativum *rei*, cum
et in passivo remaneat, more Graecorum regi a *praepositio-*
ne quadam intellecta, quae Graecae *zata* respondeat. „Ergo
docere, erudire aliquem litteras, erit dictum pro ad litteras.
Quomodo doctus ad legem, ad malitiam, erudire ad insti-
tuta maiorum, eruditus ad ostentationem legimus. Illud
me admones, pro ad illud; celo te hoc, pro quod ad hoc
attinet; obiurgabit me pater haec, pro ob haec, et sic por-
ro. Neque ipse, quid commodius excogitari possit, vi-
deo.“ — Nos contra ad vim nativam accusativi provoca-
mus, credimusque aliud esse *doctus aliquam rem vel aliqua-*
re, et aliud *doctus ad aliquid*. *Graecis litteris doctus e.*

Graecarum litterarum peritus; *doctus ad malitiam* indicat finem.

e. In varietate itaque horum verborum structurae notanda, notandum etiam est, utrum significatio eadem maneat, necne. Verba docendi construuntur cum *ad* (vid. d.) etiam cum ablativo: *ut docere fidibus, litteris Graecis, erudire aliquem artibus, in iure civili*, haec omnia Ciceronis sunt. *Doceo, edoceo, erudio*, cum idem notant, quod *certiorem facio*, plerumque ablativum cum *de* adsciscunt. De verbis monendi supra. Hortor, cohortor recipient accusat. rei cum *ad*, apud Cic. *de*. Verba orandi et posseendi ablat personae cum *a* passim habent. Verba interrogandi variant, ut *quaerere ab, ex, de aliquo, et de re aliqua*. Quaedam ex recensitis loco nominis rei cum infinitivo, ut *doceo te sapere*, Cic. cum interrogativis, ut *doceo te quid agas*. Id.

5.

Sunt alia, quae geminos quidem accusativos regunt, sed rei vel personae eiusdem. Alter enim alteri per regulam convenientiae iungitur. In hoc genere sunt verba nuncupandi, eligendi, existimandi et cognoscendi; deinde quoque cupio, desidero, peto, postulo, quaero, volo, do, addo, praebeo, iungo, adjungo, facio, reddo, efficio, praesto, paro, fero, effero, et alia. Ut me ceperunt arbitrum. Cic. *Petit hanc Saturnia munus*. Ovid. *Praefla te virum*. Cic.

6.

In quaerendis scrutandisque omnium harum constructionum causis breves fuimus, propterea quod in praefatione huius capituli accusativi naturam exposuimus. Illam vero expositionem ubique quadrare putamus ut non opus sit, ad ellipses confugere seu ad praepositionem aliquam suppressam. Itaque in *cogito Romam*, quod Vrsinus supplet per *cogito ire ad vel in Romam* nihil plane supplendum est, sed eiusmodi locutio notioni accusativi est maxime consentanea. Omnia vero in relatione esse posita, vel inde apparet, quod eadem verba, mutato casu, mutant significationem, ut *despondere animum* (i. e. desperare), et *animo*, (i. e. certam spem alere;) *mereri aliquid*, et *de aliquo*; *periclitari aliquid* (i. e.

(i. e. tentare, experiri,) et aliqua re, ut *fama, sitii, morbo,*
(i. e. in periculo versari.)

Deinde saepenumero accidit, ut diversi generis verba eiusdem sint significationis apud Romanos ac Germanos. Hinc casibus utrobique discrepari nihil mirum. Nam ubi in Latino accusativus est cum verbo quomodounque constructus, ibi nostrates modo genitivo utuntur, modo dativo, modo praepositione. Hinc multae regulae in Grammaticis Germanice scriptis, qualis illa in Gram. March. §. 140. *iuvo, imitor, sequor, cet. regunt accusativum.*

Denique usum in primis consule, et distingue auctoritates, „nec enim, quae comicis aliquae poetae licere sibi patrunt, ad usum prosae promiscue transferenda; praefertim ubi et consuetudo et ratio potior obnuntuntur. Sic erudire ex poetis quidem Ovidius ac Statius cum duplice accusativo construunt, et Gellius eruditus Graecus res dixit: at oratores pro accusativo rei vel praepositionem vel ablativum absolute positum malunt. Neque enim, quod ex Cicerone profert auctor methodi eruditus Graecas litteras, uspiam comparet, sed aliquoties eruditus Graecis litteris.“ Vrsin. sect. VIII. p. 280.

§. 86.

De ablativo verborum.

Omnis ablativus, igitur et is, qui verbo iungitur, ab aliqua pendet praepositione, vel expressa, vel suppressa, et subandienfa, vel in verbo comprehensa. — Haec communis est grammaticorum opinio. Is itaque casus quasi inventus videtur, ut haberent praepositiones, ubi regnarent. At vero mea sententia longe aliter se res habet. Etenim cum in omni rectione duae res concurrant, quarum una alteram respicit, respectus iste quomodounque significandus est. Idque fit in lingua Latina quibusdam nominum terminationibus. Videndum itaque est, quid Romani scriptores terminatione ablativi expressum voluerint, quid sit, quod casus hic in se ipse inclusum habeat, vel quanam illius sit nativa indoles?

Omnis humanae mentis cognitio a rebus, quae sensibus subiectae sunt, initium capit; ab hisce eadem mens ad

sup

I 2.

alias

alias transit, quae sensibus hanc obnoxiae intelliguntur modo,
et ob similitudinem qualecumque, posteriores cum priori-
bus comparat, unaque atque eadem ratione exprimit. Vi-
dimus hoc in accusativo explicando, qui proprio motu a

B ad A significabat. (B ——— C.) Quoniam vero
actio in aliquid, ut transitus (a B in A,) hinc ut motus co-
gitatur; utrumque eadem ratione expressum videbamus.

Par ratio est *ablativi*. Proprie enim significat vel lo-
cum A, ubi aliquid est, vel eandem locum A, unde ali-
quid movetur; deinde vero caussam, quare, vel unde. Na-
turet etiam humanae apprime convenit, subtiliorem caussae
notionem cum loco conspicuo, ubi et unde, comparare et
utrumque una atque eadem ratione significare. Quia ex re
intelligitur, ablativum neque a verbo, neque a praepositione
aliqua, sed a relatione potius rei ad rem diversam pendere.

Quod vero quamquam ita se habet, attamen est, ut
ubique, ita et hic, usus spectandus. Scriptores enim
Romani ablativo iam sine iam cum praepositione aliqua
utuntur; cum praepositione, vel ut secundarias quasdam
relations significant, vel ut ambiguatem fugiant, vel
maioris perspicuitatis caussa, vel ex usu. Hinc necesse
est, ut a generali de ablativo verborum regula ad specia-
les transeamus, quarum *octo* efferventur, quinque de abla-
tivo cum verbis absolute, (sine praepositione,) constructo,
duae de ablativo cum verbis ita constructo, ut interve-
niat praepositio, una denique de ablativo, quem vi praec-
positionis verbo comprehensae rectum putant.

I.

Regularum prima haec est, „Omne verbum confe-
quitur ablativus, qui vel caussam, vel instrumentum, vel
modum, vel partem, vel exsuperantiam, vel adiuncta
significat.“

A. *Caussam*, ut: *concordia res parvae crescunt cet.*
Sallust. i. e. concordia causa est rerum parvarum incre-
menti; seu fons, (quasi locus,) unde incrementum manat.

B. *Instrumentum*, ut: *Naturam expellas farca, tamen
busque recurret.* Horat. Naturam obiectum patiens est, ea-
que

que patitur proxime a furca, furca itaque proxima est causa, (quasi locus,) unde passio proficiscitur.

C. Modum ut: *Virtute ambire oportet, non favoribus.* Plaut. i. e. oportet ut virtus peritus ambitionis causa sit, non fautores; seu virtus, non fautores causa esse debent, quare ambeas; virtus itaque quasi locus esse debet, unde exis ambitionis causa. *Metitur se quisque suo modulo ac pede.* Horat. modulus mensura est, ad quam artifex dimitiri aliquid solet, hinc spatium definitum aliquod, ubi aliquid agitur.

D. Partem, ut: *contrenisco tota mente et omnibus artibus.* Cic. Ablativi hi locum indicant, ubi? Poetas dicunt, ablativum hunc non raro in accusativum convertere, qua de re dubito. In Virgiliano enim: *Stare loco nescit, micat auribus, et tremit artus,* intelligitur tremor per artus, (Aen. II. 121.) hinc motus per locum, qui accusativo exprimi solet.

E. *Exsuperantium, ut: Sale et facetiis Caesar vicit omnes.* Cic. causa exsuperantiae sal fuit, et facetiae.

F. Adiuncta denique. Sed vix intelliges, quid hoc loco adiuncta sint, neque id ex exemplis, quae suppeditant, facile coniicies. Eadem enim locutionem alii ad significationem causae, alii ad hanc adiuncti, alii alio referunt. Nec mirum, omnes enim omnino ablativi cum verbis constructi, quid alind denotare possint, nisi adiuncta, quibus vel causa significetur, vel locus, vel tempus, vel simile quid? ut: *Timotheus erat magno natu.* Cornel. ablativus hic locum significat unde. *Hannibal adeo gravi morbo afficitur, ut. cet.* Id. morbo causam indicat affectionis; par ratio est locutionum *laborare siebri; florente auctoritate; imo Nereus ciet aequora fundo.* Virgil. *mitti baculo; pendere callo; bibere auro.*

Hanc veram esse ablativi explicationem, vel ex praepositionibus intelligitur, quas ablativus causae, modi, partis atque adiunctorum, quae dicunt, non raro recipit.

Ablativus causae recipit a, e, in, praे, per, propter, ut: unda tumet a vento. Ovid. mare collinet a sole. Cic. gloriari de suis virtutibus, in re aliqua. Id. vacillare ex vino. Terent. prae mero loqui non possum. Cic. Quod adeptus est per scelus, id per luxuriam effundit

fundit atque consumit. Id. parere legibus propter metum. Id.

Ablativus modi *cum*, *de*, *ex*, *in*, ut: semper magnō *cum* metu dicere incipio. Cic. ubi dicere incipio ibi metus, qui me comitatur. Si *magnō metu*; ambiguum est, utrum metus causa orationis sit, an comitatus significatur. De sententia communi. Cic. *ex* mea sententia; de *meo consilio*; *ex* *meo consilio* passim. ornatus ex suis virtutibus. Plaut. collocare, dicere, respondere *ex*, vel *in* ordine, passim.

Ablativus partis *a*, *e*, ut: dolere *ab* oculis; laborare *ex* pedibus. Cic.

Ablativus adjuncti *a*, *e*, *de*, *cum*, *in*, ut: bibere *in* aureis poculis. Senec. bibere *ex* poc. tritum. niti in aliquo. Cic. cogitare, reputare modo mente seu animo, modo *cum* animo, modo secum.

Ablativus instrumenti refugit fere praepositionem cuius rei causa Sanctius reddit l. IV. de ellipsi.

Ablativo comitatus frequentius additur *cum*, quam omittitur.

2.

„Verba mercandi, et quaevis alia consequitur ablativus qui pretium significat.“

Omnis ablativus pretii nihil habet, quod a regula generali discrepet, rem enim aliquam *in loco* positam significat, qua res alia permittatur. Haec autem res; quae *in loco* cogitatur posita, simul esse potest *causa*, cur aliiquid commutetur, hinc exempla occurunt, in quibus alterutra valet expositio.

Vt, vendidit hic patriam auro. Virgil. i. e. commutavit hic patriam auro, vel aurum causa fuit, cur venderet patriam. Senatus tritici modium tribus denariis aestimavit. Cic. i. e. senatus aestimavit, tritici modium tribus denariis permundandum esse. Ego spem pretio non emo. Terent. Tu ista permagno aestimas. Cic. vendere parvo pretio. Id.

Ad ablativos pretii pertinent *magna*, *permagna*, *plare*, *plurimo*, *nimio*, *parvo*, *paulo*, *paululo*, *minimo*, *vili*, *dimidio*, qui eodem modo exponendi sunt, nolant enim id

id indefinite, quod binis festertiis, tribus denariis etc. definite significatur. Interdum iisdem ablativis pretio additur, vel *aere*, vel *impedio*. Quod si fit, semper ablativus posendus est, non enim dicitur, *emere rem tanti pretii*, vel *vendere pluris pretii*, quamquam dicitur *emere*, vendere certi. *tanti*, *tandidem*, *quanti*, *quanticunque*, *minoris et pluris*. Emere rem magni pretii non significat emtionem sed laudem. Pro ablativis recensitis interdum etiam adverbium aliquod legitur, ut *care*, *carius*, *carissime*; *bene*, *melius*, *optime*; *male*, *peius*; *vilius*, *vilissime*.

In ablativis autem pretii commutationem seu permutationem esse cogitandam, ex praepositione *pro*, quae his verbis interdum additur, satis superque apparat. ut: Non bene *pro* toto libertas venditur auro. Horat. Plure foras vendunt, quod *pro* minore emunt. Lucil. apud Charis: Tum *pro* argenteis decem aureus unus valebat. Liv. Ali quando una res *pro* duabus valet Senec.

3.

„Verba copiae et inopiae consequitur plerumque ablativus, iam sine iam cum praepositione, interdum et genitivus.“

Haec verba cum ablativo absolute construuntur: *fluo* et *composita*, *exubero*, *redundo*. Ut: Turpe est *diffluere luxuria*, et delicate ac molliter vivere. Cic. *Pomis exuberat arbor*. Virgil. *locus sanguine redundavit*. Cic. His adde defici et destitui, ut: *defici pecunia*; *destitui ratione*.

Vacare modo sine modo cum praepositione a construuntur, ut vacare culpa, et a culpa.

Abundare, scatere, carere plerumque cum ablativo, raro cum genitivo, idque apud antiquiores scriptores.

Egere et indigere promiseunt cum ablativo et genitivo, ut egere consilii; rebus omnibus. Cic. Illa non tam artis indigent, quam laboris. Id. Cohortatione te puto non indigere. Cass. ad Cic.

Ratio huius constructionis in promtu est, nam si tecum cogitas horum verborum notiones, et ablativi vim, facile intelliges, et hic locum in quo, vel a quo vel etiam cauissimam denotari, hinc ablativum hanc a relatione non a praepositionibus suppressis a, vel in pendere, quamquam

quam interdum adduntur, ut: *Theophrastus abundavit in eo genere rerum. Cic. vacare a culpa passim.*

4.

Sunt alia verba diversarum significationum, quae ablativo sine praepositione iunguntur. Talia sunt verba afficiendi, adstringendi, augendi, ditandi, donandi, impertiendi, implendi, informandi et instruendi, onerandi, vestiendi, et his contraria liberandi, et solvendi, vacuandi, privandi, levandi, exuendi; verba finiendi, metiendi, miscendi, mutandi, pentandi; verba, quae exsuperantiam, vel facultatem seu potentiam notant cet. Omnia vero haec ad regulam generalem revocari possunt, id quod ex praepositionibus iquet, quae nonnunquam adduntur, ut *cum, a, e, de, in, pro.*

5.

Verbis utor, fruor, fungor, potior, vescor, et aliis quibusdam, quamquam ad generalem ablativi notionem referri et possunt, et debent, grammatici locum assignarunt peculiarem. Ut vero vivere, vicitare carne, lacte, ita vesci care, ita epulari dapibus opimis, ita malis pasci, ut utilitatem capere ex forte sua, ita uti forte sua, et sic in ceteris relatio est eadem, quae ablativum requirit. Ex grammaticorum sententia pendent hi ablativi a praepositionibus, illi verborum uti, frui pasci, vesci, epulari, vivere a de vel ex; in ablativo verbi potiri intelligendum est a; in periclitari capite supplent de; in stare promissis in.

6.

Ad alterum verborum genus accedimus, quippe quae intercedente praepositione cum ablativo construantur. Quamvis variae sint significationis, attamen ipsa eorum significatio indicat, quam praepositionem requirant, plerumque *a, e, de, in, cum.* In hoc genere sunt verba accipiendi, adipiscendi; arcendi, prohibendi, removendi; auferendi; cavendi; cedendi et cessandi; colligendi; conducendi et emendi; continendi; dandi et cognata; defendendi; deficiendi; contendendi; intelligendi; differendi, dissentiendo; distandi; dimittendi, disiungendi; exspectandi

di et sperandi; ferendi; incipiendi; percontandi, orandi, et petendi; recipiendi; servandi; timendi multaque alia.

Varietas constructionis ex usu discenda est, nam maior est, quam ut de ea exponere queamus. In universum duo notanda. Mutata praepositio saepe sensum verborum mutat. ut: audiare *ex* aliquo et *de* aliquo; cognoscere *ex* aliquo et *de* aliqua re; colligere *ab* aliquibus et *ex* aliquo; sentire *ab* vel *cum* aliquo et sentire *de* aliquo bene vel male cet. Deinde non quaevis verba eiusdem significationis eandem continuo structuram habent, saepe enim significatio verborum una, constructio diversa est.

7.

„Deinde passiva habent ablativum agentem cum praepositione *a*. Huc pertinent etiam neutra et deponentia passivae significationis.“ Vt: laudatur *ab* his, culpatur *ab* illis. Horat. occurritur nobis et quidem *a* doctis. Cic. Caput a sole dolet. Id. Quis nolit a ijslo ense mori. Lucan. Rem atrocem *a* servis suis passus est. Plin.

Omnia haec tam clara sunt, ut, qui ablativi naturam perspexerit, cui, quid *a* vel *ab* significet, notum sit, demonstratione ulteriore non egeat. Etenim praepositio *a* modo caussam efficientem significat, modo locum seu terminum, unde aliquid proficiuntur, cet. cf. Horat. Turselin. Hinc intelligis quid sit apud Plaut. aurum *a* patre allatum, quid illud apud Cic. a scelere certe liberati sumus; quid hoc: diligentiam *a* me exspectari puto apud eundem cet. Haec omnia et eius generis alia verba, ut in passiva, sic et activa [voce] eadem notione *a* recipiunt. Nam eodem prorsus modo dicitur afferre aurum *a* patre; liberare quem *a* scelere; exspectare aliquid *ab* aliquo cet. Vid. Vrsin. Sect. VIII. c. 12.

Aequo facilis intellectu est variatio grammatica: Ciceron amat Tulliam, et Tullia amatur a Cicerone. Quamquam est verbi structura mutata, sensus tamen sit idem, necesse est. In utraque enim locutione Cicero subiectum agens est, et Tullia patiens; id quod liquet ex natura accusativi et ablativi.

Haec praepositio *a* saepenumero caussam principalem exprimit, ut in hoc Cic. de Alexandri Pheraei morte: *ab ea est propter pellicatus suspicionem imperfectus*, constat vero,

non

non Theben ipsam sed Thebes fratres Alexandrum interse-
cisse, sed quia Thebes instinctu interficiebatur, ab ipsa in-
terfectus dicitur.

Sed eadem praepositio *a*, quamquam partim ex usu,
partim perspicuitatis causa, verba passiva plerumque comi-
tatur, non raro tamen, in rebus maxime inanimatis, omit-
titur, ut: *voluptate homines capiuntur*, ut *hamo pisces*. Cic.
ita quoque *affici defici*, *destitui*, *delectari* aliqua re cet. De-
trahitur vero etiam personarum nominibus, id vero rarius,
ut: *Gliaco postquam deserta est hospite virgo*. Virgil.

In locum ablative cum praepos. *a* succedit interdum *per*,
ut: non putaram Metellum fratrem ob dictum capite ac fortu-
nis *per te* oppugnatum iri. Metell. ad Cic. Cui Cic. sic: Quod
scribis non oportuisse Metellum fratrem tuum ob dictum
a me oppugnari cet. Interdum *e*, ut in verbis *orior*, *nascor*.
Interdum *datus*, frequentius quidem apud poetas, quam
apud profane scriptores, ut: *auditus est nobis Laetiae sermo*;
intellexum est nobis. Cic. et alii, de hoc dativo Vid. Santius,
Perizon. Vrsin.

8.

„Restant verba, quae vi praepositionis, cum qua com-
posita sunt, ablativum regere dicunt.“ At vero, si notas
horum verborum intueris, si, quid significant, perpendis,
facile invenies, et hunc ablativum a respectu seu relatione
pendere. Ut abire magistratu; decidere vita; delabi equo;
emergere malis cet. Ut in accusativo, ita et hic praeposi-
tio repetitur, ut: abesse domo et a domo; expellere, ei-
cere urbe et ex urbe cet. sunt huius generis composita, quae
hanc repetitionem plane respiciunt, ut abdicare se magistratu;
supercedere labore; efferre pedem domo cet. Alia contra,
quae nunquam sine addita praepositione occurunt. Ut: ab-
ducere, avocare ab aliquo; dehorhartari, deficere, expri-
mere ab aliquo. Alia denique, quae modo sine modo cum
addita praepositione efficeruntur. Ut: abire loco, a, de, ex
loco; decidere spe, a, de spe; declinare via, a, de via;
exire loco, de, ex loco cet.

§. 87.

*De constructione verborum cum nominibus
temporum et locorum.*

Vulgari consuetudini grammaticorum dandum putavimus, ut huic capiti, quod in accusativo et ablativo verborum exponendo primum esse debebat, ultimum locum assignaremus. Etenim accusativum et ablativum verborum relationibus temporis et maxime spatii originem debere, iam supra ostendimus. Tempus vero et spatium, cum sint humani animi leges necessariae, iisdemque leges orationis, primariae certe, nitantur; sequitur, ut utriusque relations, quoniam eodem modo cogitantur, iisdem etiam casibus quavis in lingua significantur. Deinde tempus constat ne fingi quidem posse, nisi sub imagine lineae. Linea vero spatium est, unde intelligis, qui fieri potuerit, ut, quae voces de spatio, eadem de tempore usurpentur.

A
Iterum lineam ducamus B — C. in qua BA aliquod temporis spatium denotet, quod vel percurritur vel percursum est, vel percurretur; deinde idem temporis spatium ponatur, in quo aliquid aut sit, aut factum est, aut fiet: et habebimus primarias temporis relations, quarum prior accusativo, posterior ablativo exprimi solet. Vix crediderim ullam ab his regulis duabus reperi exceptionem.

Ad spatium vero quod attinet, iam ante illius adfectiones, quae hoc pertinent, exposuimus. Aliquid movetur enim vel *ad locum A*, vel *est in loco A*, vel *ab eodem* movetur. Prima relatio accusativo significatur, posteriores duas ablativo.

Hicce primaris et temporis et spatii relationibus accedunt interdum secundariae quedam notiones, quae, si nudis casibus attingi nequeunt, praepositionibus exprimuntur. Sunt vero etiam relations primariae, quibus usus praepositionem addidit, est itaque iste et hic spectandus. Ageatur igitur in universum partim de accusativo et ablativo sine praepositione, partim de iisdem casibus cum praepositione,

I.

1.

Si temporis spatium indicatur, quod vel percurritur, vel percursum est, vel percurretur, verbo cuilibet *accusativus temporis* apponitur. *Vt, annos 70. vixit Ennius.* Cie. *suimus una duas horas.* Id. Hanc domum, iam *multos annos* est, cum possideo. Plaut. *natus est annos 30.* Significat; est annos 30. cum natus est.

Idem *accusativus temporis* cum praepositione coniungitur, si nota secundaria quaedam significanda est. *Circa* *eum mensem.* Plin. *circiter* meridiem, passim. *ad centesimum annum* vixit. Cic. *sub lucem, sub noctem,* passim; *quae omnia appropinquationem ad A,* hinc motum declarant. *Per id tempus.* Cic. et alii, at *per* *vocula aliquam temporis continuationem* sine ulla intermissione significat plerumque. Ei honeste *in illam annum* deberi putabantur. Cic. *Tempus futurum notatur, quod cogitare nequis, nisi B A percurras.* Vivat hunc *in annum* et plures. Horat. *Intra annos 14. tectum non subierunt.* Caes. *praeterea inter, post, ante.*

2.

Si temporis spatium indicatur, *in quo* vel fit aliquid, vel factum est, vel fiet, verbo cuilibet *ablativus temporis* apponitur: ut *quem ego hodie toto non vidi die.* Terent. *Triduo abs te nullas litteras acceperam.* Cic. *Hinc ablativi mane; luci, antique lucu; vesperi; noctu; quotannis* cet.

Adhibentur et hic praepositiones. *In tempore pugnam inire.* Liv. *in nostro aevo.* Plin. *cum prima luce ire;* *de noctu vigilare;* *de die potare;* *ab aequinoctio ad Vergiliarum occasum* cet. In primis varia est ratio praepositionis *in*, modo definitum, modo opportunum temporis spatium notantis.

3.

Si locus indicatur, *ad quem* movetur aliquid, verbo cuilibet *accusativus loci* apponitur, modo sine modo cum praepositione.

A. Nomina urbium, castellarum et pagorum plerumque sine praepositione construuntur. *Ire Romam, Corinthum,*

thum, Carthaginem, Athenus. Nunciatum erat *Romam.* Liv. *Messanam litteras dedit Cic.* Tantum cogitabam. Id. *Rhodum volo — inde quam primum Athenas.* (Hinc ire inficias, exsequias, cubitum; venire, occurrere suppeditias cet.)

Eadem nomina interdum etiam cum praepositione leguntur, ut: ex Anactorio *huc commigravit in Calydonem.* Plaut. *Venit ad Messanam.* Cic. In primis hoc sit, cum adiectiva vel appellativa accedunt, ut: *magnum iter ad doctas proficisci coger Athenas.* Propert. *Ad Cirtham oppidum constituit. Sallust.* At vero Ovid. *sine praepos. doctas ire Athenas.* „Quamvis aliquando differant, *eo Romam, et ad Romam,* item *venire in urbem et ad urbem,* ut prioribus quidem ingressus, posterioribus accessus modo significetur; fallit tamen non raro hoc discrimen. Nam de ingressu sane in urbem loquitur Cic. Fam. 16. 1. et 12. Et Livius L. V. eodem sensu saepius *Veios et ad Veios* dicit.

B. Nomina vero appellativa itemque propria regionali atque insularum rarius sine praepositione occurunt. Ut: rogat quid *veniam Cariam.* Plaut. *proficisci Cyprum.* Terent. *Venit Sardiniam.* Cic. *Germanicus Argyptum proficisciatur.* Sallust.

Eadem nomina plerumque cum praepositione construuntur. Ut tendere in urbem; *venire in Cumanum.* Cic. *proficisci in Africam, sed res satis nota.*

4.

Si locus indicatur, *in quo seu ubi aliquid est, verbo cuilibet apponitur ablatus loci.*

A. Nomina urbium castellorum et paiorum si sunt vel primae et secundae declinationis, pluralis numeri; vel tertiae declinationis, plerumque sine praepositione in *ablativo* leguntur; sin primae et secundae sunt declinationis, singularis numeri, in *genitivo.* *Athenis* audivit Cratippum. Cic. *Babylone mortuus est Alexander.* Id. Egnatius *Romae* est. Id. *Tarenti* degit Archita. Gell. In nominibus in E primae declinat. praefstat omnino Latina terminatio ne in *ae* uti, negotiatur *Mitylenae*, non *Mitylenes.* „Nomina secundae declinationis singul. numeri nonnunquam et ablativo elata leguntur, ut apud Iustin. XVIII. 4. XII.

23. XX. 3. apud Caes. de B. civil. III. 27.^o Denique quae-
runt, cur in nominibus primae et secundae declinat. Sin-
gular. numeri genitivus adhibetur? — „In Romæ, re-
spondet Vrsin. sect. VIII. c. 12. ac similibus intelliges *in*
urbe, quae et ratio est, quod non dicitur; natus est *Ro-*
mæ, celebris *urbis*, sed vel *Romæ in celebri urbe*, vel *in*
Romæ celebri urbe, vel *Romæ celebri urbe*, praepositione
per ellipsis suppressa.^o Ratio huius constructionis in per-
mutatione genitivi cum ablativo quaerenda videtur. Hac
de permutatione iam ante dictum est in regimine adiecti-
vorum et verborum. Ea fortasse nititur vi et indeole ge-
nitivi, in quo omnes omnino relationes, originitus cer-
te, continebantur; vel etiam antiquissima utriusque casus
terminatione. cf. §. 16. et §. 83. Posterior si esset, ratio
etiam posset reddi, cur nunquam reperiatur, *Carthaginis*,
vel *Athenarum* natus est. Sin in illis genitivis primae et
secundae *in urbe* est omissum; mirum mihi videtur, nus-
quam *Carthagineis* vel *Athenarum* legi, in utroque enim
in urbe supplere possit.

Eadem nomina urbium interdum etiam cum praepo-
sitione leguntur. *In Epheso*, *in Epidauro*. Plaut. *Navis*
in Caieta parata est nobis. Cic. *Complures naves in His-
pali* facienda curavit. Caes. fit hoc praecipue, cum ap-
pellativa in eodem casu accedunt, ut *in Nea oppido Troa-
dis*, *in Hispani oppido*. Plin.

B. Nomina vero appellativa, itemque propria regio-
num atque insularum rarius sine praepositione leguntur.
Vxorem *Lemni* habebat. Terent. *Sicilie* cum esse. Cic.
Pompeius *Cypri* visus est. Caes. Conon *Cypri* vi-
xit. Cornel.

Eadem nomina plerumque cum praepositione constru-
untur. *In urbe*, *in Tusculano*, *in Italia*, *in Africa* esse.
res nota.

5.

Si locus indicatur *a quo*, seu *unde* aliquid movetur,
verbo cuilibet additur *ablativus loci*.

A. Nomina urbium, castellorum et paiorum plerum-
que sine praepositione reperiuntur. Rediit *Roma*, *Corintho*,
Carthagine, *Athenis*.

Ra.

Rarius cum praepositione idque fere ob notam secundarium aliquam. *Ex Epheso* litteras huc misi. Plaut. *A Brundisio* nulla adhuc fama venerat. Cic. *Ab Athenis* ire *Boeatiam*. Serv. ad Cic.

B. Nomina vero appellativa, itemque propria regionum atque insularum rarius sine praepositione leguntur. Non redit *Carid.* Plaut. *Aegypto* remeant. Tacit. Pompeius *Italia* cedit.

Plerumque cum praepositione, redire *ex urbe*, *ex Tusculano*, *ex Sicilia* cet.

6.

Restat ut de relationibus secundariis quibusdam praecipiamus.

A. In hoc genere sunt nomina distantiae et mensurae, quae plerumque in *accusativo* leguntur. A recta conscientia *transversum unguem* non oportet discedere. Cic. *Mille et ducentos passus* ibi latitudo patet. Liv. Haec enim mecum cogitans metior spatium aliquid B A.

Eadem nomina spatii et in *ablativo* leguntur. Bidui *spatio* abest ab eo. Cic. Eiusmodi ablativus denotat distantiam inter B A, quae ab A incipit.

B. Motus *versus locum aliquem accusativo* significatur, cui *versus* (vel sine vel cum praepositione *ad* aut *in*) additur. *Romam versus*. Cic. *ad Cordubam versus*. Hirt. de Bell. Alexandr. *In Aruernos versus*. Caesar.

C. Si motus significatur *per locum*, praepositio *per* adhibetur. Terrestres ab Corintho *per Megaram* incursiones siebant. Liv. i. e. a B ad A et inde ad C, hinc per A.

Perperam proferunt eiusmodi exempla, manat *tota nrbe* rumor. Liv. petere locum *terra marique*; ire *via recta*; tota ambalat *Roma*. Cic. Vagari tota *Asia* cet. Significatur enim locus B A, in quo.

§. 88.

De constructione infinitivorum.

Si dicitur *scribo*, nemo est, quin intelligat, nam una hac voce continetur propositio perfecta, quoniam perinde est ac *ego sum scribens*. Igitur tria sunt, quae verbum finitum

tum comprehendit; *subiectum, praedicatum, copulam*. Si dicitur *scribere*, tria haec tolluntur, et non nisi *actio significatur*, quae per se nullam perficit sententiam. Vnde Quintilianus eiusmodi verbum *infinitum* dicit, alii *infinitivum modum*, alii aliter. Cum autem dicitur *fraudare est turpe*, quod periode est ac *fraus est turpe* quiddam; vides, infinitivum esse *nomen*, quod *subiecti* vicem gerit. Vnde grammatici eum ὄνομα ἐνθετικόν (nomen verbale) vel etiam ὄνομα ἐνθετός (nomen verbi) appellantur, ratio in aprico est, praesertim in lingua Graeca, ubi occurrit το, τρ, τω τυπτει. Vnde etiam Priscianus: „*Currere est cursus; scribere, scriptura; et legere, lectio*“ — Cum enim dico: Bonum est *legere*, nihil aliud significo, nisi, bona est *lectio*.“ Quod, quamquam ita se habet, alia tamen leguntur exempla, in quibus infinitivus et *praedicati* locum obat, ut apud Terent. *Ambos curare propemodum est reposcere illum, quem dedisti; quod idem est ac, amborum curatio est repetitio eiusquem dedisti*. Ex hac locutione, cui omnes, in quibus infinitivus vicem *praedicati* gerit, similes sunt, apparet, infinitivum, etiam in verbis quibusdam, (ut in verbis substantiis quorum *praedicatum indefinitum est*), *praedicati* vicem gerit, proprio tamen esse *substantivum*, quod more ceterorum, adiectivi vicem sustinet. hac de re supra, sed parum subtiliter, quoniam huius rei explicatio *logicas* munus est. Praeterea verba infinita finitorum casus retinent, ut enim dicitur, *video te*, ita etiam, *cupo videre te*. Vel hanc ob causam infinitivus substantivi naturam parum attingere videtur. Sed et hoc argumentum pertenue est, casus enim obliqui, quos infinitivus post se habet, a relatione pendent, quae est inter actionem et vocem additam. Videamus itaque, quae regulae ex infinitivi notione colligi possint, quaeque pendeant ab usu.

I.

Infinitivus, cum substantivum sit, nullam potest perficere propositionem, nisi verbo finito iungatur. Igitur est aut *subiectum propositionis* aut *praedicatum*, aut *additamentum*.

A. Quodsi est *subiectum*, pro nominativo ponitur plerumque; ut, quam turpis est assentatio, cum vivere ipsum turpe

turpe sit nobis. Cic. sed et aliorum verborum subiectum est; ut *didicisse fideliter artes emollit mores.* Ovid. *Possesse loqui eripitur.* Ovid. pro potestas loquendi. Huc pertinent impersonalia *debet, libet, oportet, contingit, iuvat, delectat, licet.* Non cuivis *contingit adire Corinthum.* Horat. Non *libet militi deplorare vitam.* Cic.

B. Sed idem infinitivus et *praedicati* vicem gerit; ut, *Non enim, falsum jurare, periurare est,* sed quod ex animi tutius sententia iuraveris, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere, *periurium est.* Cic. Huc pertinent impersonalia *passiva* vocis, ut *Pompeius dicitur valde laborare;* *dicitur fecisse* i. e. auctor, *servus videtur cunctari,* i. e. cunctator.

C. Denique additamentum pro positionis. Cum grammatici dicunt, verbum infinitum per se orationem absolve-re nullam, sed finito indigere, significatum volunt, infinitivum esse modo additamentum verbi finiti. Ut: *Maximi debemus* estimare conscientiam. Cic.

Ellipsis igitur est, cum infinitivi absolute positi leguntur, qualis in his: *Ah! tantumne rem tam negligenter agere.* Terent. *Memiserum!* in tantas te calamitates mea culpa incidisse? Cic. et sic passim. In quibus *par est, decet, oportet* aut simile quiddam sententiae conveniens intelligendum putant. Facile intelligis eiusmodi infinitivos exprimere affectum aliquem. Id vero non semper, historici enim omit-tunt *putat, inquit, coepit* cet. Interdum ne haec quidem suppleri possunt, ut: *Igitur reges populique finitimi bello intentare, paucis ex amicis auxilio esse.* At Romani domi militiaeque intenti festinare, parare, alias alium hortari, hosti-bus obviam ire, libertatem, patriam, parentesque armis te-gere. Sallust. Catil. Eiusmodi locutionis origo atque causa in antiquissimis lingae Latinae temporibus quaerenda est, quibus infinitivus, ex quo ceterae verbi partes ortae sunt, finiti vicem gerebat, quoniam finitum nondum formatum erat. Hinc infinitus omnis personae est ac numeri. Longe aliter Quintilian. 9. 3. et Sanct. III. 6. in fin.

2.

Infinitivus cum substantivum sit; debet, (quando est additumentum, (1.)) iisdem esse subiectus relationibus, ac

K

sub-

substantivum quodlibet, substantiorum vero relationes causis exprimuntur, unde sequitur, ut infinitus substantivi vices per omnes causas gerere queat. Quot itaque causas, tot regulae de infinitivo.

A. De infinitivo pro nominativo. vid. i.

B. Pro genitivo, antecedente vel substantivo, vel adiectivo. *Tempus est dicere.* Cic. *Consilium cepit omnem a se equitatum dimittere.* Caes. *In iuit consilia reges tollere.* Cornel. *Summa eludendi occasio est mihi nunc senes, et Phaedriac curam adimere argentariam.* Terent. In qualibus alioqui gerundis in DI locus est, ut vel ex ultimo exemplo elucet. Plura exempla suppeditat Sanet. III. 6. hinc et in oratione prosa hoc dicendi genus imitari licet. Adiectivis vero voluntatem vel facultatem, item peritiam, curam, aut aliam animi affectionem significantibus, infinita iungere, poetarum est. *Avidus cognoscere,* Ovid. *peritus cantare.* Virgil. cf. Sanet. I. c. et Vrsin. Sect. VIII. c. 14.

C. Pro dativo, antecedente vel adiectivo vel verbo. Et vos servire magis quam imperare parati estis. Sallust. i. e. servituti magis quam imperio. *Boni quoniam convenientius ambo,* Tu calamos inflare leves, ego dicere versus. Virgil. pro tu calamis inflandis, seu calamos inflando cet. Sic construuntur utilis, aptus, habilis, idoneus et alia. Sunt etiam hic poetica ab his, quae prosae convenient, diligenter distinguenda. Ut aliis parere confuerent Cic. tua cernere facta adsuescat. Virgil. qui mentiri aut fallere insuevit patrem. Terent. plura exempla pete ex Vrsin. p. 363.

D. Pro ablativo, antecedente vel adiectivo vel verbo. *Pares cantare.* Virgil. i. e. in seu a cantu. *defissus quaerere.* Plaut. *contentus demonstrasse.* Quintil. *dignus credi.* Ovid. Sic etiam abstine invidere; non cessat eum urgere; ne operam perdam poscere, i. e. in poscendo.

E. Denique pro accusativo, antecedente vel adiectivo vel verbo. *Celer irasci, sequi, pro ad irascendum;* durus componere versus; opprobria fingere saevus, omnia Horatii, neque vero apud ceteros poetas eiusmodi constructiones inusitatae sunt.

Deinde vero etiam pro accusativo antecedente verbo. Hic vereri perdidit. Plaut. i. e. verecundiam. Non tanti emo poenitere. Cic. pro poenitentiam. Reddes dulce loqui, redes

des ridere decorum. Horat. *Arare et serere frumenta glan-*
dem vescentibus monstrarunt. Iustin. pro arationem et satio-
nem frumentorum. Avaritia superbiam, crudelitatem, de-
os negligere, omnia venalia habere docuit. Sallust. vel ex ul-
timo loco vides, infinita eandem habere vim, quam accu-
sativi nominum praecedentes. Simulque inde disce, con-
structionem hanc in iis praecipue locum habere, ubi nomi-
na, quibus interpretatio fieri possit, neque suppetunt, ne-
que quadrant; quid enim est, quod pro venalia habere sub-
stitui queat?

Datur verborum genus, quorum praedicatum adeo
 vagum est, et generale, ut, quod ad inumeras actiones per-
 tinere potest, ideo aliam *eiudem subiecti* eamque definitam
 requirat actionem, quae sensum compleat. Etenim si di-
 cis, *scribo*, actio haec satis definita est, quamvis quaeri
 possit, *quid scribas?* si dicens, *volo*, *possum* cert. maior omni-
 no est necessitas, *quid velis*, *quid possis*, definiendi, idque
 sit *infinitivo*, qui et hic pro accusativo nominis esse solet.
 In hoc genere verborum sunt, *volo*, *nolo*, *malo*, *desidero*,
cupio, *possum*, *queo*, *nequeo*, *scio*, *nescio*, omniaque omni-
 no verba voluntatem et facultatem significantia; item verba
incipiendi et *definendi*, item *debeo*, licet cert. Omnia haec
 verba tam vagae sunt significationis, ut, nisi definita adda-
 tur actio, intelligi nequeant, sed eadem verba, si mutant
 significationem, aut si de duobus subiectis sermo est, mu-
 tant etiam constructionem.

3.

Haec vero hactenus de simplici orationis infinitae con-
 struzione, quippe quae, quoniam verbum infinitum finito
 sine ullo iungitur subiecto, *simplex* dicatur.

Sin infinitivus vel subiectum est verbi finiti, vel eius-
 dem additamentum, vicemque igitur nominis gerit; saepi-
 sime fit, ut eidem infinitivo quoddam iungatur subiectum,
 quod vel expressum est, vel suppressum: haec orationis
 infinitae constructio appelletur *composita*, cuius regula haec
 esse videtur.

Quocunque verbum finitum infinitivus cum suo subiecto
consequi potest, si est vel finiti suppositum, vel additamentum,
vicemque igitur nominis gerit.

In hac autem constructione composita, vel in eadem subsistitur persona, vel non subsistitur. Quodsi est prius; — Post nominativum verbī finiti alter fere nominativus cum infinitivo *esse*, *sieri*, *videri*, *haberi* similisque significationis infinitivus, sequitur. Meditor *esse* *affabilis*. Terent. Catto *esse*, quam videri *bonis* malebat. Sallust. In eiusmodi locis *me*, *te*, *se*, illum omissa dicunt, quae si adhibentur, accusativus cum infinitivo collocari solet. Cupio *me esse clementem*. Cic. Interdum vel his pronominalibus suppressis accusativus legitur. Ego nolo *meretricem* dicier. Plaut. Huc refer illud Virgilii: *Sensit medios delaesus in hostes*; et illud Catulli: *Phaselus iste ait fuisse navium celerrimus*; et illud Horatii: *uxor invicti Jovis esse nescis*. Exempla ex prosae scriptoribus suppeditat Scioppi ad Sanct. III. 7.

Deinde autem in composita hac constructione, in qua in eadem subsistitur persona, — post dativum verborum licet, expedit, contingit, convenit, prodest, necesse est, alter fere dativus cum infinitivo *esse* sequitur. — Mihi non licet esse negligentia, ita sexcenties. At vero et accusativi exempla occurunt: si civi Romano licet esse *Gaditanum*. Cic. Accusativus hic maxime reperitur, cum ista verba impersonalia absolute ponuntur.

Denique — Infinitivus cum accusativo sui subiecti quocunque consequitur verbum finitam, si est vel finiti subiectum vel additamentum. Quia in constructione nihil interest, utrum in eadem subsistatur persona nec ne, prius enim si est, idem subiectum bis occurrit. Jam exempla suppeditabimus aliquot. Convenit in dando *munificum esse*. Cic. Video ex litteris tuis, nos funditus interisse. Id. Pacis te cupidum esse laetor. Id. Me fecit certiorem, te profectum esse. Id. Malo mihi invidere *inimicos* quam cet. Plaut. Primus locus ita variari posset: *convenit in dando manificentia*, vides itaque, infinitivum hic finiti subiectum esse, vicemque gerere nominis; secundus ita: *video nostrum interitum*; tertius: *laetor de tua pacis cupiditate*; quartus: *me fecit certiorem de tua profactione seu itinere*; quintus: *malo inimicorum invidiam quam cet*. In his exemplis omnibus infinitivus verbī finiti additamentum est et vicem casus recti gerit. Casus vero recti nunc *causam* indicant, nunc *conditionem*, nunc *finem*, nunc *modum* cet. unde intelligis, id

id idem in accusativo cum infinitivo latere. Eadem vero constructio et aliter explicari potest atque variari. Quoniam enim in eiusmodi locutione duo sunt subiecta, unum verbi finiti alterum infiniti; constat ea duabus propositionibus, in unam contractis, quae una in duas resolvi potest, idque per particulas *quod*, *quia*, *cum*, *ut*, *ne*, *quia*, *quomodo*, *qui* et alias. Hae autem particulae easdem denotant relationes ac casus recti, *causam finem*, *modum* cet. Ex quo vides, qui fieri possit, ut post idem verbum finium modo nomen sequatur, modo infinitivus cum suo subiecto, modo particula aliqua. Locus itaque Lactantii: *cur nunquam fortuito accidit, sic coire illa principia*, ut efficerent animal eiusmodi, quod naribus potius gaudiret, oculis odoraret, naribus cerneret, — iste, inquam, locus aliter aliterque variari potest, ut: *cur nunquam talis illorum principiorum coitus seu concursus accidit*; vel ita, *cur nunquam accidit, ut sic coirent illa principia*. Tum autem erit diudicare, quid elegantius sit, quid dillucidius. Modo enim plurimum infinitivarum concursus evitandus est, modo eiusdem particulae repetitio, modo amphibolia tollenda videtur.

Grammatici longum eorum recensuerunt verborum numerum, quae accusativus cum infinitivo consequi solet. In hoc genere sunt verba sensuum et intellectus, verba effectuum et voluntatis, verba denique dicendi seu significandi. (Hinc omnia omnino verba, vim aliquam humani animi indicantia. Praeter sensus enim et intellectum, praeter affectus et voluntatem, denique praeter vim omnia haec significandi, nihil est, quod sciām, animi proprium.) Sed praeceptum hoc, nisi usum consulueris, nisi exercitatio in legendis priscis accesserit, nisi verborum sensum repperxeris, atque orationis contextum, parum tibi utilitatis adferet. Post unum enim idemque verbum modo accusativus cum infinitivo sequitur, modo *quod*, modo *ut*. Marci Catonis est epistola, in qua scribit, *se audisse*, eum missum factum esse a consule. Cic. Offic. I. 11. et paullo ante: Cato ad Popilium *scripsit*, *ut*, si cum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obliget sacramento; et Attic. 10. 4. Cum *scripsisset*, *quod* cape-

enpereret, me ad urbem venire. — In fine huius loci duas addemus observationes.

Ex gemino accusativo in infinitivo activo amphibalia exoritur interdum, quae conversione activi in passivum solvi potest, haec Quintiliani praeceptio est. VII. 10. Veluti *Lachetem audivi percussisse Demeam*, haec verba ita mutari possunt: a Lachete audivi percussum esse Demeam.

Sunt verba, quae reliquae orationi iam praeposuntur, iam interponuntur et hoc absolute, i. e. ita, ut neque accusativus cum infinitivo neque aliqua particula adhibeatur. In hoc genere sunt *opinor, putō, credo, arbitror, spero, fateor, ain', narro tibi, faciam, faxo*. Ut: *opinor, ad Considium confugiendum est; Nondum, opinor, est exprectus; Narro tibi, haec loco venusta sunt; ain' tandem, etiam a Stoicis ista tractata sunt. omnia Ciceronis.*

De causa, cur suppositum verbi infinitivi accusativus sit, cf. Bauer. ad Sanct. III. 6.

§. 89.

De constructione gerundiorum.

Gerundia nomina verbalia sunt, ita a verbis deducta, ut actionem infinite significant. Est igitur gerundii cum infinitivis maxima cognatio. Vnde fit, ut pro gerundii infinitivi adhibeantur, legitur enim *péritus cantandi et cantare; paratus serviendo et servire; defessus quaerendo et quaere-re*. Deinde satis constat, quod graeci per infinitivos cum articulo et praepositione, id Latinos plerumque per gerundia efferre, ut *καιρος τις λεγειν, τις λεγειν ενεργεια* cet. per *tempus legendi, legendi causa*. Quanta vero sit gerundiorum et substantivorum cognatio, vel ex iis intelligitur locis, in quibus utraque coniuncta reperiuntur, ut *venandi aut pilae studiosus*. Cic. *usu tractandoque cognoscere*. Id. Vnde etiam eadem haec gerundia explicari per substantiva possunt, imprimis per verbalia in IO, ut *inutilis scribendo, per inut. scriptioni; insuetus navigandi, per insuet. navigationis*. — Duae autem ex hac definitione regulae colligi queunt, quarum una haec est:

A. Gerundia, quia nomina sunt, cum nominibus, verbis et particulis, more aliorum nominum, construuntur.

tur. Ut igitur dicitur *occasio studiorum*, ita *occasio studen-*
dis; ut *fessus studiis*, ita *fessus studendo*; ut *dare operam in-*
quistioni, ita *dare operam quaerendo*; ut *impiger in scri-*
ptione, ita *impiger in sribendo*.

B. Altera haec: Gerundia, quoniam verbalia sunt
 nomina, i.e. a verbis deducta seu abstracta, requirunt
 post se casus verborum suorum. Nec mirum, cum enim
 verborum suorum actionem infinite significent, necesse est,
 ut, si substantivum aliquod addatur, quod ad actionem
 infinite expressam ita refertur, ut ad verbum finitum; ut
 igitur, conditione eadem manente, qui casus verba, idem
 gerundia consequatur. Hinc legitur: *carendum erat tui*.
 Terent. *parcendum est teneris*. Iuvenal. *aeternas poenas*
 timendum. Lucret. *utendum est aetate*. Ovid. *potestas*
mittendi legatos. Caes. *Epidicum* *quaerendo operam da-*
 bo. Plaut. *Vires facis ad tanta canendum*. Manil. *in sup-*
ponendo ova *observant*, ut sint imparia. Varr. *Prorsus*
 igitur aliena est atque absonta gerundiorum constructio-
 nis explicandas ratio Vossii et Perizonii, nec digna, quae
 hic repetatur.

Duas has regulas universales, ex gerundiorum na-
 tura ductas, diffundere in quinque speciales solent, quip-
 pe quae de quinque gerundiorum casibus exponunt. Sunt
 autem fere eadem, quae supra de casibus nominum tra-
 ditae sunt,

I.

Gerundium in DVM nominativi casus suppositum
 est verbi *esse*, addito aliquando dativo personae, aliquan-
 do non. Ut, *opinor aduenienti mihi hac noctu agendum*
est vigilias. Plaut.

Gerundium in DVM aliquod notare officium, vel
 necessitatem vel convenientiam, in reliquis vero casibus
 hanc officii vel necessitatis notionem esse obliteratam, ab
 omnibus grammaticis observatum legimus. Miror autem,
 qui casus reliqui, cum a nominativo inflectantur, cumque
 eiusdem sint ubique et constructionis et rectionis, hanc
 officii et necessitatis notionem plane deposuisse potuerint.
 Quid? si haec notio in verbo *esse* potius quam in gerun-
 dio lateat. Satis enim constat, verbum *esse* saepenumero
 expli-

explicari per licere, convenire, officium esse, hinc et neceſſe esse. Hoc si concedatur, omnis est huius casus explicatio, et mollior et aequabilior. In illo itaque Horatii: *bibendum*, *est*, *bibendum* idem denotat ac *bibere*, et *est*, idem quod *convenit* seu *licet*, ita ut et gerundio in DVM aliquando substitui possit infinitivus, qui nullam per se spectat neceſſitatem. Idem deinde gerundum saepe per verbalia in IO variatur, certe antiquitus, ut *pices mihi ne corrumpantur*, *cautio est*. Plaut. pro *cavendum* est; *Quid tibi hanc curatorem?* — *Quid tibi accesso est ad has aedes?* Id. pro *quid tibi hanc rem curandum est*, *quid tibi accedendum est*, vel *quid audes accedere?* Nemo autem est, qui dicat, officium aut conveſtientiam, aut audaciam aliquam in hisce verbis in IO latere.

2.

Gerundia in D I ante se habent nomina substantiva et adiectiva, easque sequuntur regulas, quae supra de constructione genitivi traditae sunt. Nec igitur est peculiare quoddam genus nominum, quae hanc post se gerundii structuram requirant, sed ut supra, sic hoc loco res tota in relatione vocum posita est. Ut igitur dicitur *illecebra peccati*, *sic maxima illecebra peccandi impunitatis spes*. Cic. *ut cupidus gloriae*, ita *cupidus redeundi*. Terent.

Nomen autem, a quo gerundium in D I pendere debat, interdum desideratur, in primis *cauſa*, et *gratia*, ut *ne id ostendandi magis, quam quod habeam gratum, facere existimes*. Terent. et sic passim. Hoc ipsum sit in gerundis seu in participiis in DVS, ut: *Regium imperium, quod initio conservandae atque angendae reipubl. fuerat*. Sallust.

Idem gerundium in D I pro casu sui verbi habet aliquando genitivum utriusque numeri. *Fiat exemplorum eligendi potestas*. Cic. *Studium aeternitatis imitandi*. Id. Sic Plautus, Terentius, Livius, alii. Maxime occurrit haec structura cum genitivis pronominum substantivorum, *mei*, *tui*, *sui*, *eius*. *Vt tui vidandi est copia*. Plaut. (de femina) *Eius videndi cupidus*. Terent. *Dolebis tandem Stoicos noscuros Epicureis irridendi sui facultatem dedisse*. Cic. *Vestri confirmandi et consolandi cauſa*. Id. Ita et Caesar, Livius, aliquae optimae notae scriptores, ut structura haec non tau-

fantum observatione digna videatur, verum etiam imitatione. Ratio eius in promptu est, quoniam enim gerundia nomina sunt, usui sic placuit, ut gerundium in D O instar ceterorum substantivorum cum genitivo construeretur.

3.

Gerundia in D O dativi casus ante se habent adiectiva et verba, quibus et alias dativus iungitur. Ut *charta emporietica inutilis est scribendo*. Plin. i. e. scriptio; Magna animi contentio adhibenda est explicando Aristotelem. Cic. i. e. explicationi Aristoteli. Similiter occurrit *est, non est vesciendo*, apud Plin. *est vel non est solvendo*, in quibus *paraptus* vel simile quid intelligunt, cf. quae supra de dativo nominum dicta sunt.

4.

Gerundium in D V M accusativi casus, ante se habet verba et praepositiones. Ut vero, cum est suppositum verbi finiti (*est*), pro nominativo habetur; sic, cum idem verbo infinito (*esse*) supponitur, in accusativum transit, sequiturque fere regulas, supra de accusativo cum infinitivo expositas. Habet igitur ante se verba sensuum et intellectus, sentio, video, audio, intelligo, puto, censeo, et similia, ut, *Acrioribus saluti suae remediis subveniendum putavit*. Cic. pro *subveniendum esse*, sed *esse* plerumque omittitur in hac structura.

In nonnullis locis veterum ambiguum videri potest, utrum gerundium in D V M sit, an participium in D V S pro indeclinabili antiquis usurpatum, ut in his: *credo inimicos meos esse dicturum*; *instam rem a vobis oratum volo*; similiter fortasse dictum est: *illas curandum censeo*. Plaut. pro *curandas esse*. cf. Vrsin. Tom. II. p. 398.

Deinde item gerundium ante se habet praepositiones, ut *fultissimum duco*, *ad imitandum non optima quaque propone*. Plin. Aliquando et accusativus apponitur, ut *Vires facis ad tanta conandum*. Manil.

5.

Denique gerundium in D O ablativi casus, modo cum modo sine praepositione ponitur; si prius est, raro fit, ut

cusativus apponatur.¹ *Ipsa a dicendo refugisti.* Cic. *Ratiō
recte scribendi iuncta cum loquendo est.* Quint. *Exempla
enī accusativo: in supponendo ova observant cet.* Varr. *Quod
verbum (invidia) dictum est a nimis intuendo fortunam alte-
rius.* Cic. — *Sed et sine praepositione hoc gerund. occur-
rit: Homines nihil agendo, male agere discent.* Cic. *Mens
hominis discendo alitur et cogitatione.* Id. *Additur et accu-
sativus: Omnia conando docilis solertia vincit.* Manil.

6,

*Restat, ut de gerundiorum significatiōne, itemque de
eorum explicatiōne ac variatione paucā dicamus.* Signifi-
catiō modo *activa* est, modo *passiva*; cum accusativo
constructa active significant, absolute vero posita modo ac-
tivae modo passivae sunt significationis. *Vt equos conscen-
dendi equitibus spatiū non fuit.* Liv. i. e. equitibus non
fuit, *ubi consenderent equos;* Herminius inter spoliandum
corpus hostis percussus. Id. i. e. dum spoliabat; — Athenas
erudiendi gratia missus. Iustin. i. e. ut erudiretur; locus
ad agendum amplissimus. Cic. i. e. in quo agatur, et sic in
ceteris.

7,

*Vel ex paucis his exemplis intelligis, multimodis ex-
pliari possē gerundia, modo per cum, modo per dum, mo-
do per si, modo per alias particulas, modo per qui, modo
per nomina verbalia eiusdem significationis, modo per parti-
cipia in NS et RV S, ut iudicem conciliabimus laudando
eum.* Quint. i. e. si laudabimus eum; *Quam multas nobis
imagines non solum ad intuendum, verum etiam ad imitan-
dum — scriptores reliquerunt.* Cic. poterat et ita: *quas non
solum intueamur, verum etiam quas imitemur; superanda
omnis fortuna ferendo.* Virgil. i. e. patientid; dederunt mu-
nus gladiatorium patris cineres honorando. Valer. i. e. honora-
turi. *In omni autem gerundio explicando contextus potis-
simum consulendus est.* Deinde facile intelligis, has gerun-
diorum interpretationes simul esse eorundem *variationes.* **D**
his separatim, sed breviter.

2.

8.

Omnibus universis gerundiis *cum accusativo* construc-
tis participium in DVS substitui potest, quod ideo ge-
rundivum nuncupari solet. Haec vero variatio non habet
locum in gerundiis, quorum verba alli atque accusativo
iunguntur casui. Cuius quidem permutationis modus cum
notus sit, nec difficultate aliqua laboret, sufficiet, aliqua
huius Structurae exempla suppeditare: *Hauriendus aut dan-*
dus est sanguis. Liv. pro hauriendum est sanguinem; *Pacis*
inter cives concilianda te cupidum esse laetor. Cic. pro con-
ciliandi pacem; *Regio explicandis copias opportuna.* Curt.
pro explicando copias; *Quo sis alacrior ad tutandam rem*
publ. Cic. pro ad tutandum rempl. *In officio colendo sita*
est vitae honestas. Id. pro in colendo officium.

Hic gerundivorum usus, quia iis adhibendis oratio
plerumque modulatione ac mollior fluere videtur, multo
est frequentior atque usitator, quam gerundiorum cum ac-
cusativo, in primis apud Ciceronem, itemque Caesarem
atque aequales. At non desunt tamen exempla ex iisdem
scriptoribus, ubi posteriorem structuram maluerunt, quae
apud Lucretium, Varronem et antiquiores saepissime oc-
currit. Fortior quidem et durior haec compositio vide-
tur, sed eo minus repudianda, quia multimodis molliri
potest, mutua potissimum relatione pronominum *is* et *qui*,
ita ut *is* omittatur, ut in hoc Ciceron. *Hic dies attulit*
initium dicendi, quae vellem, dicere potuisset: dicendorum
eorum, sed vastius fuisse, quam ut convenisset huic loco,
aut in hoc Quintil. *In emendando, quae corrigenda erunt,*
non acerbus; potuisset scribere *in emendandis iis,* et sic
passim. Vbiique igitur videndum est, quid usus ferat,
quid velit perspicuitas, quid aurium sensus suadeat.

§. 90.

De constructione Supinorum.

„Gerundia et Supina promiscue appellabant Gramma-
tici veteres, et confundebant.“ Perizon. ad Sanct. M. III.
9. Primum auctorem libelli *de arte grammatica*, qui Do-
nati nomine circumfertur, utraque appellationibus discre-
visse, observat Vrsinus, additque, *modum participialem seu*

par-

participialia verba a vetustioribus grammaticis dicta esse.
 Sect. V. c. 8. Vnde habeant nomen recentius, ignoratur nec opus multis laborare de eo, cum origo sine dubio falsae de utrisque opinioni inaeditata sit. Hac de re Vr. fin. I l. Sanct. et commentat. L. III. c. 8. et 9.

Supina vero substantiva sunt verba quartaes declinationis, accusativi et ablativi casus singularis numeri, significantque infinite actionem aut passionem verborum, unde ducta sunt.

De reliquis utriusque numeri casibus dubitatur. Sed Vossius contendit, alios etiam supinorum reperiri casus, imo esse, quorum omnes fere legantur terminations, ut *sensuum nomina, visus, auditus, tactus* et. similiter *actus, cantus, casus, cursus, ictus, tensus, missus, victus, usus, motus*, et alia infinita. Evidem crediderim omnia verbalia quartae declinationis, quibus aut actio aut passio significatur, inter supina esse numeranda. Omnino hoc genus vocabulorum maxime adsine est verbalibus in IO, ita, ut non raro permittentur, dicitur enim *dignus lectus et lectione*. Sunt porro verbalia in IO, multis supinorum in VS, frequentiora, ut *petitio, vocatio, collectio, narratio* et. usitatoria quam *petitus* apud Lucret. *vocatus* apud Virgil. *collectus* apud Lucret. *narratus* apud Ovid. Sunt vero alia verbalia in VS, multis verbalium in IO, usitatoria. Etenim *abusio, apparatio, appetitio, convictio, interitio* minus usitata sunt, quam *abusus, apparatus, appetitus, interitus*.

Vel ex hac permutatione patet, supina nomina substantiva esse. Illa in VM exeuntia reinent quidem verbalium suorum structuram, ideo vero non amittunt substantivorum naturam et vim. Etenim *tactio, curatio* alias in IO, quamquam cum accusativo constructa leguntur, tamen nemo est, qui substantiva esse negat. Isdem Supinis in VM nonnunquam etiam praepositio additur, ut in hoc Varr. de R. R. 3. *Non omnis tempestas, apes ad pastum prodire longius, patitur*; et in hoc Plaut. prologo mercat. *pater* ad mercatum hic me meus misit Rhodum, cui eodem sensu subiungit deinde: *dico esse iturum me mercatum*. Cave putes, aliud esse ad mercatum, aliud mercatum, scilicet unum nomen substantivum, alterum verale

bale supinum, quod quid sit, me necire fateor, utrobique enim eadem ratio eademque natura. V. Bauer. ad Sanct. Minerv. p. 660. Supina vero in V nomina esse verba-
lia substantiva et Sanctius concedit, supina in VM non item. Sed quae tandem ratio, ut *redeo venatu* nomen
sit, *redeo venatum supinum?* Recipiunt scilicet illa in VM
verborum suorum strucram, haec in V respununt illam.
Cuius ratio in aperto est, Supina enim in V *passivae* sunt
plerumque significationis, unde sit ut subiectum orationis
in nominativo sit collocandum, ut: *haec res turpis dictu-*
est. Idem vero cedit vel in Supina in VM, quae, si
passive significant, omnem respununt accusativum, ut: *tau-*
rus dicitur immolatum. Passiva igitur supinorum in V si-
gnificatione sublata, possent omnino verborum suorum stru-
cturam sequi, et interdum sequuntur, ut: *Reditu in castra*
liberatum se esse iureiurando interpretabantur. Cic.

Supina igitur si nomina sunt verbalia substantiva, eo-
rum constructio nihil peculiariter secum habere poterit, re-
gulasque sequentur, quae supra sunt de accusativo et ab-
lativo nominum expositae.

Supina in VM sequuntur post verba, motum ad
locum notantia, (§. 82. 1.) adsciscantque verborum suorum
casus. (§. 89. 13.) Ut cur te is perditum? Terent.
Eo perditum dicitur ut *eo Corinthus*, et *eo te perditum*,
ut *perdo te*, supinum enim ductum est a verbo activae
significationis. Aliud exemplum: *Mater mihi cecinit tibi*
aram hic dicatum iri. Supinum enim in VM cum verbo *iri*
περιφερεσθαι est futuri infinitivi passivi, ita, ut utraeque
voces in unam quasi coalescant. — Eadem vero su-
pina saepe etiam absolute posita leguntur, ea maxime,
quae a verbis neutralis significationis ducta sunt, ut *abire*
deambulatum. Terent. *abire exulatum.* Liv.

Saepenumero motus ad locum una cum fine coniunc-
tus est, contraque finis cum motu, omnis enim finis *meta*
est quaedam, quae sine motu attingi nequit. Iure igitur
Visin. Sect. V. 9. et S. VIII. 16. „In ipso fine qua-
dam motus significatio inest, quippe qui ad agendum
agentem movet. Vnde non solum motui, verum etiam
fini

sini significando inservire Supina in VM, exemplis constat, ut hoc Plaut. *cocum ego non vapulatum conductus sum*; item isto Sallustii Histor. III. *nec ego vos ultum iniurias hortor*. Utrobique, cum quaestio sit quo, satis liquet, significationem motus ad aliquid ceu locum, neque ab his abesse.“ Ad haec verba Perizon. L. III. 9. Illa videntur longe abesse a proprie loquendo. — A proprie loquendo quidem, non a recte loquendo, in hac enim *motus* notione adeo verborum activorum rectio posita est, quae inde verba *transitiva* dicta sunt. Hac de re iam supra differuimus, nunc hoc tantum addam, aliud esse *tinctum extersui*, aliud, *spectatum veniunt*; in utraque notio *finis* inest, in uno autem notio *utilitatis* est primaria, in altero motus.

2. Supina in V, quoniam ablativi casus sunt, notant motum a loco, deinde etiam aliquem modum seu rationem, „ut si quaeras, quo pacto aliquid sit mirabile? respondere, visu, auditu, dictu memoratu, exitu.“ — Sanct. III. 10. Coniunguntur igitur, ut ablativi reliquorum nominum cum nominibus et verbis. (v. §. 83) Cave itaque putas, peculiare aliquod aut nominum aut verborum genus esse, quod supinorum adsciscat ablativum, ubique ex aliqua relatione pendentem.

A. Construuntur itaque cum nominibus, ut *dictu opus est*, Terent. *scitu opus est*. Cic. *novum dictu nefas prodigium*. Virgil. *dignus memoratu; facilis inventu; arduus imitatu; truculentus adspectu* cet. ubique quadrat Sancti praeceptum.

B. Cum verbis: *redeo obsonatu*. Plaut. *Paterfamilias primus cubitu surgat, postremus cubitum eat*. Cato, utrobiique motus a loco notatur. *Mille lupi occursu fecere metum*. Ovid. *villae custos eligendus est amplissimi corporis et vesti latratus, ut prius auditu maleficum, deinde conspectu terreat*. Columel. in priore caussa, in posteriore modulus notatur.

3.

Vt verbalia in IO nunc active nunc passive exponi possunt, ita par ratio est Supinorum, quae eiusdem plane naturae sunt.

S.

Supina in V M plerumquae activae sunt significatio-
nis, ut *eo emtum*, quod idem ac *eo emere* seu *ut emam*;
raro passice significant, ut in hoc: *taurus dicitur immo-
latum*, quod idem ac *dicitur immolari*, seu *ut immoletur*.

Supina in V, maxime ea, quae a verbis activae si-
gnificationis ducta sunt, plerumque passice sumuntur, ita
ab ipsis scriptoribus priscis. Ut, Lyricorum Horatius
fere solus legi dignus. Quinet cognosci utilia. Valer.
Max. fluvius facilis navigari. Pompon. Mel. Active ve-
ro ea explicantur, quae a verbis neutralis significationis
originem trahunt, ut *exitu*, *occursu*, *eventu* cet. V. Vrsin.
V. 9. et Sanct. III. 9.

Variatio supinorum admodum multiplex est, de hac
Maior. III. 8. et Vrsin. VIII. 14. qui hanc fibi proponit
formulam: *Veni opem oratum*; quae ita commutata est:
 1) *veni opem orandi caussa*, *gratia*, *ergo*;
 2) *opis orandae caussa* *cet.*
 3) *ad orandum opem*.
 4) *ad orandam opem*.
 5) *de oranda ope*.
 6) *opem orans*.
 7) *opem oratus*.
 8) *ut opem oret*.
 9) *qui opem oret*.
 10) *opem orare*.
 11) *opi orandae*, quomodo Tacit. Annal. 5. *Data fides
reddendae dominationi venisse*. Sed ultima haec minus pla-
cket, fortasse s littera excidit, et forma loquendi est qua-
lis apud. Sallustium reperitur, de qua supra. § 89. 2.

Pauciores habet variandi modos supinum in V, de
illo legi dignus iam antea. Potest vero etiam per gerun-
dium in D V M cum praepositione *ad variari*, ut *facilis
ad cognoscendum*; item per verbalia in I O, ut *dignus cog-
nitione et scriptione* apud. Cic. *parvum dictu, sed immensum
aestimatione*. Plin. 7. 1.

De constructione participiorum.

Vt eruamus, quae sit participii nativa indoles, cum iis orationis partibus illud comparabimus, quibus maxime ad sine esse videtur. — In propositione: *Cicero audit*, verbum partim *copulam logicam*, quam dicunt, partim *praedicatum* comprehendit; quin etiam, si dicas indefinite, *audit*, eodem verbo *subjectum* continetur. Hoc autem missò, duo certe sunt, quae quovis verbo si ito continentur, idque *logice*. Sed praeter haec aut *actio* exprimitur verbo, aut *passio*, i. e. aut *caussa*, aut *effectus*, quorum neutrum cum fine *tempore* cogitari queat, factum est, ut eidem verbo consignificationem temporis aderent.

Jam vero vocem aliquam a verbo derivatum eamus, videamusque, quid retinuerit, quid amiserit. Si dicitur: *audiens*, vel etiam *Cicero audiens*, omnis quidem *substantia* est *copula*, sed nec *praedicatum*, nec *actio*, nec *tempus*, atque eiusmodi vocabulum nuncupatur *participium*. Ut vero copula tolli potest, ita et *actio* et *tempus*, ut nihil relinquatur nisi *praedicatum*, eiusmodi autem *praedicatum adiectivum* appellari solet, unde vides, quomodo verba et participia, et quomodo participia et adiectiva differant.

Ex eadem explicatione intelligis, omnia participia omnino a verbis originem trahere. Itaque adiectiva in NS A-TVS, ITVS, VTVS, ut nigrans, quadrupedans, caudatus, hastatus, auritus, maritus, cornutus, nasutus aliisque infinita, quamquam terminacionis participialis sunt; tamen, quoniam aliunde oriuntur, huc referri nequeunt. Sunt vero etiam alia, a verbis quidem profecta, quae vero, quoniam omnem actionis passionisve hinc et temporis significationem deposuerunt, in mera abierunt adiectiva: in hoc genere sunt *sapiens*, *diligens*, *potens*, *dotatus*, *cautus*, *rectus*, *aptus*, *promitus* multaque alia, in hanc autem adiectivorum familiam nunquam migrant participia futura in RV S et DVS. — Docent grammatici, inter ea, quae participiorum et adiectivorum communia sint, et *comparationem* esse numerandam. Falso. Participia enim, quatenus sunt participia, i. e. quatenus actionem et tempus aliquod finitum significant, omnem responunt

spūnt comparationem. Hinc necesse est, ut, priusquam
comparentur, in adiectiva transeat, deponantque omnem
temporis definiti consignificationem. Vnde sit, ut partici-
pia in RVS et DV\$ quoniam numquam migrant, nun-
quam comparentur, reliquis vero et praesentibus et praec-
teritis, amissa temporis consignificatione, compariatio com-
petat. Hinc dicitur *amans*, *amantior*, *amantisimus*, ita
cupiens, *indulgens*, *libens*, *observans*, *celebratus*, *comenda-
tus*, *aversus* cet. cet. discenda enim sunt ex diligente lec-
tione scriptorum ipsorum, atque ex grammaticorum obser-
vationibus. Alia enim per omnes gradus comparata legun-
tur, alia tantummodo in comparativo, alia tantum in su-
perlativo. Heret inquit

Deinde ut verba, sic participia trium temporum sunt, praesentis, praeteriti, futuri. Sed lingua Latina participiorum pauperrima est, verba enim activa participio praeterito carent, et passiva praefente; illa activa in O R, quae deponentia dicuntur, sola sunt, quae triplici tempore gaudent, ut *hortans*, *hortatus*, *hortaturus*. Vnum itaque et idem participium plura interdum munia obire videtur, sed ipsorum verbi finiti temporum pars ratio. De his breviter exponere, non alienum erit, quia sine hac interpretatione vix intellexeres, qui tandem possit participium praesens cum verbo praeteriti temporis coniungi. Scito itaque quodvis tempus, ut Harrisius ostendit, trifariani dividii posse. Est enim aut inchoativum, aut perfectum seu exactum, aut inter utrumque interiectum. Quodsi nulla harum cuiusvis temporis partium ratio habetur, tempus adhibetur *adfectus*; si habetur, definite. Id hac tabula illustratum dabimus.

Aoristus praeteriti.	Aoristus praesentis.	Aoristus futuri.						
legi,	lego, legens.	legam, lecturus, legendum.						
lectus, a, um.								
Exa- cru- ram,	Medi- um,	Inchoa- tivum.	Exa- cru- rum	Medi- um	Inchoa- tivum.	Exa- cru- rum	Medi- um,	Inchoa-
lege- ram.	lege- bam.	lectu- rus	legi,	lego (feu- legi, gens sum.)	lectu- rus	legero	legam (feu- lego, gens ero.)	tivum
		rem.			sum.			

Ex hac tabula vides et temporum adsimilitatem, (quod, cum tempus series continua sit, aliter esse nequit,) et orationis paupertatem. Etenim ne unum quidem definiti temporis participium reperitur, hinc necessario sit, ut participium quodvis intelligatur. Exinde spero te intellecturum esse observationes grammaticas, quas iam suppeditaturus sum.

A. „Participium praesens cum verbo praeteriti aut futuri temporis coniunctum, horum temporum significatiōnē sustinere videtur.“ *Vt: offendī adveniens, quod interpretantur per postquam adveni. Terent. Ultro ad eam venies, indicans te amare, venies et indicabis.* Id. Sed in priore exemplo verbum offendī explicari potest per praesens exactum; in posteriore vero indicans praesentis temporis significatiōnē retinet. Est porro, ubi participium praesens, etiam cum verbo praesenti coniunctum, praeteriti significatiōnē sustinet. *Vt: Apri inter se dimicant indurantes attritū arborum costas.* Plin. quod explicant per ubi induraverunt costas; recte, indurantes enim participium praesentis exacti est. Denique Saturnius, Vrbinus Perizonius aliique notant, ut ipsum verbum praesens, sic quoque participium pro conatu, apparatu, studio agendi, vel praeparatione ad actionem iamiam futuram sumi. Intelligunt praesens inchoativum, quod in hoc Virgilii: *terruit austor euntes, i. e. conantes seu praeparantes ire;* in hoc Obsequent. proficiens cum immolare, i. e. se iam ad proficiētiōnē accingens.

B. „Participium praeteritum cum verbo praesentis aut futuri temporis coniunctum, horum temporum significatiōnē sustinere creditur.“ *Vt locus ad margines plenus neque exhaufis aquis minuitur neque infusis augetur,* Plin. quod explicant per si exhauiantur, si infundantur, quidni cum Visino, si exhaustae, si infusae sint? Aliud exemplum: *ne penes ipsos culpa esset clavis forte Gallico bello acceptae, cognitionem de postulatis Gallorum ad populum reiiciunt.* Liv. bene Gronov. put. ad Liv. 9. 18. *si qua forte clades acciperetur, seu accepta fuisset;* itaque participium non magis dictiū est vi sua nativa, quam praeteritum *esset.* Jure igitur Sanctius, qui participia praeterita, et absolute posita, in significatiōne futuri usurpari doceat,

cet, a Perizonio et Ursino refutatus est, ubique enim genuina praeteriti temporis significatio locum habet.

C. Participium futurum in RVS modo voluntatem, modo propositum, modo necessitatem significat, explicaturque per *volo*, *possim*, *debo* similiisque verba auxiliaria, primaria vero futuri notio ubique manet; ut in hoc Horat. *morituri Delli*, quod explicant per *cum moriendum est*, bene quidem, sed posses etiam per *qui morieris*; in hoc Curtii 3, 1. *Lesbum — praefidiis liberaturos*, i. e. quibus praecceptum erat, ut liberarent, omne vero praecipuum ad tempus futurum referendum est. Nec participia futura in DV S eo amittunt futuri significationem, quod necessitatem plenamque denotant atque officium, utrumque enim futurum spectat tempus, quod enim fieri debet nondum factum est, sed futuro fiet tempore. Aliter vero res esse habere videtur, si particip. in DV S pro gerundio i. e. pro substantivo adhibetur; hoc enim cum nullam significet tempus, ergo nec illud.

Reliqua significatio e verbi significatione pendet, et est vel activa, vel passiva vel neutralis. Participia in DV S exentiunt semper passive significant, ceterorum omnium significatio variat. Censet Perizonius formam in TVS, SVS et XVS aequem olim fuisse activi ac passivi, sed vid. Ursin. Sect. VI. c. 5. p. 881.

Sequitur, ut de participiorum constructione pauca addamus, de qua tres regulae traduntur, quarum una haec est.

I.

Participia verborum suorum constructionem sequuntur. Manente enim eadem ratione, manet etiam constructione eadem: ut igitur dicitur *lego Virgilium*, sic *legens Virgilium*; ut *accuso negligentiae*, sic *accusatus negligentiae*, ut *resisto hosti*, sic *resistens hosti* cet.

Participia in NS, cum in nomina degenerant, i. e. cum temporis consignificationem omittunt, cum genitivo construuntur. Itaque *patiens inediā*, nunc seu hoc tempore patitur, sed *patiens inediae*, inediā pati adsaevit. Ita quoque Ovid. Metam. 1.

Non illo melior quisquam, nec amantior aequi

Vir fuit, aut illa reverentior ulla decorum.

L 2

Par-

Participijs in NS succenturiari possunt verbalia in BVNDVS, idem cum emphasi significativa, et eundem, quem illa regunt, casum regentia: ut *venerabundus regem.* Curt. *gratulabundus patriae.* Just. Vrsin. T. II. p. 89. et

415. *Constructio participiorum osus, exosus, perosus, ceteri, itemque illa participiorum originem indicantium, ut genitus, natus, rel. satis nota est.*

Participia praeterita passiva pro ablativo cum *a*, cum dativo constructa leguntur; idque frequentius apud poetas, quam apud prosae scriptores, ut apud Cic. *ego audita tibi putabam.*

At vero participia futura in DV S pro ablativo cum *a*, frequentius cum dativo occurunt, hinc Terent. *expetandus mihi est frater; ratus cum a, ut quia non putabam, a me nunc scribenda esse publico.* Cic.

2.

Altera regula haec est: Cuilibet verbo addi queunt ablativi *absoluti*, quos dicunt, quorum alter nominis esse sollet, alter participii. Haec etiam constructio regulas sequitur, quae supra generatim de ablativo nominum traditae sunt, ablativi enim absolute iam tempus denotant, quo aliquid evenit, iam modum, iau caussam, cetera. ut; *nobis rempubl. gubernantibus togae arma cessere.* Cic. i. e. eo tempore, quo ego rempubl. gubernabam; *oppressa libertate patriae, nihil est, quod iperemus amplius.* Id. i. e. eo tempore quo oppressa est libertas rel. *Caefare venturo, Pasphore, redde diem.* Mart. i. e. cum, seu eo tempore, quo veniet; *His ipsis legendis in memoriam redeo mortuorum.* Cic. i. e. dum vel eo tempore, quo haec a me leguntur; ex duabus his exemplis posterioribus elucet, regulam de participiis absolute positis non esse restringendam ad participia praesentis et praeteriti temporis. — *Pat i ratione dicitur, deo volente, fortuna iuvante;* ablativus enim participii in NS ita positus ferme in E terminatur.

Exponunt ablativos absolutos per nominativum et particulas *cum, dum, postquam, quoniam, si, ubi, ita, ut,* et similes particulas, quae aliquid temporis spatium, aut conditionem, aut caussam, aut modum indicant.

In

In hac igitur constructione, quamquam nihil pecuniae inest, (ut enim dicitur, *hoc tempore id accidit*, ita *Augusto imperante accidit*;) tamen usus facit, ut observationibus quibusdam opus sit.

A. Interdum dissimulatur participium, interdum nomen, ut *comitiis*, *ludis*, *Circensibus* cet. pro dum, seu eo tempore, quo comitia habebantur, quo ludi fiebant, quo Circenses dabantur; me *suafore* hoc factum. Plaut, *quod auctore te velle coepi*. Cic. utrobique *caussa* indicatur; interdum deest nomen ut: *iam ea aetate sum*, *ut non sit*, *peccato*, *mihi ignosci aequum*. Terent. i. e. si peccatum est, indicatur ergo *conditio*; *nondum comperto*, quam *regionem hostes petissent*. Liv. i. e. quoniam *nondum compertum erat*, indicatur ergo *caussa*; sic *desperato*, *regionem posse retinervi*. Curt. *auditio regem in Ciliaciam tendere*. Sallust. *excepto*, *quod non simul esses cetera laetus*. Horat.

B. Docent grammatici, „tum esse locum ablativis his, cum diversorum orationis membrorum diversa sint supposita.“ Convellit hoc praeceptum Sanctius II. 7. p. m. 233 sqq auctoritate potius testimoniorum bene multorum, quam ratione, iure vero convellit. Cum enim ablativi absoluti, ut reliqui, aut tempus, aut caussam, aut modum significant; esse omnino potest, ut eiusmodi aliquid eidem orationis supposito addatur, ut in illo Cland. *Illicitas consul poenas se consule solvet*, ubi se *consule* nihil nisi tempus denotat; aut in illo Ovid. *Lacrymas quoque saepe notavi, me lacrymante, tuas, ubi me lacrymante* similiter tempus tantummodo significat, quo imaginis notaverit lacrymas, aliter Perizonius de hoc loco.

Non est, quod in reddenda huius constructionis ratione longi simus, iam reddidimus in regula ipsa. Sanctius IV. in ellip. de ablat. Vossius de constr. 39. Ursinus Sect. VIII. aliquique „nihil certius esse contendunt, quam ut omnes alias, sic et hos ablativos, quamvis absolute in speciem positos, ab una harum praepositionum *a*, *e*, *sub*, *cum*, *in regi*,“ quo nihil falsius esse potest.

3.
Tertia denique regula verba spectat, quorum alia cum particípio praeterito passivo, alia cum particípio futuro passivo coniunguntur.

A. Verba *reddo*, *do*, *facio*, *volo*, *curo*, *habeo* idque genus alia, cum accusativo participii praeteriti passivi coniuncta, idem fere exprimunt, quod verbum, unde particípium ductum est. Ut *dabo tibi hoc effectum*. Terent. i. e. efficiam, seu dabo ut efficiatur; *me vehementer excusatum volo*. Cic. i. e. me vehementer excuso, seu volo, ut excuser; *Illos monitos etiam atque etiam volo*. Id. i. e. moneo, seu volo illos monitos esse, seu ut moneantur; *reddo tibi hoc impetratum*. Terent. i. e. reddam, dabo, efficiam, ut hoc impetres. Par ratio est ceterorum, ut *Adjutum cuperem iuvenem nobilissimum*. Plin. *Inventum tibi curabo et tecum adductum tuum Pamphilum*. Terent. Inserviunt itaque eiusmodi locutiones orationis emphasi, ita ut *volo te rogatum efficacius sit*, quam *rogo te*, *dabo hoc effectum plus dicat*, quam *hoc efficiam*. Simili periphrasi inservit *habere*, dicitur enim *habeo perspectum* i. e. perspici, Cic. satis dictum *habeo*, i. e. satis dixi. Id. Eadem periphrasis est in *fac me missum*; *nolo te offendum*; *oportet mansum*; malum *me mortuum* est. Invitis grammaticis dixerim, in nonnullis certe locis, non tam participium, quam supinum habere locum, ut in illo Cic. Att. 8. 18. *cohortes ad me missum facias*.

B. „Verba *curo*, *do*, *loco accipio*, *fuscio*, *mitto*, *tradō*, *flactuo*, *rogo*, *attribuo*, *relinquo* similiaque saepe numero enim particípio futuro passivo coniunguntur.“ Regula haec pertinet potius ad constructionem gerundivam, id enim nisi esset, non intelligo, quae eiusmodi structurae ratio reddi possit. *Heraclidem interficiendum curavit*. Cornel. i. e. curavit interfectionem seu caedem Heraclidis; *muros diratos a Lysandro reficiendos curat*. Id. i. e. murorum refectionem curat. et sic in ceteris exemplis.

4.

Restat, ut de participiorum *usu* eorumque *explicatione* dicendum esse videatur. Afferunt quidem brevitatem,

tatem, vim, gratiam, varietatem orationi; at modus tamen, ut omnibus in rebus, sic in usu quoque participiorum servandus, manuque, quod aiunt, et hic, non facco ferendum. Certe summos avtores, ubi non incommodo adhiberi posse videbantur, abstinuisse tamen a partici-
piis videoas, non aliis ex caussis, quam ut nimium eorum constipationem aut obscuritatem, quae inde oritur non-
nunquam, vitarent, varietatemque orationis, aut nume-
rum captarent suaviorem. Vrsin. T. 1. Sect. VI. c. 6. Ex-
plicantur vero participia

A, per pronomen *qui*, ut *patientia saepius laesa*, sit furor. P. Syrus, i. e. quae saepius laesa est.

B. Per coniunct. copulativam et, ut *accessit pretium pollicens*. Terent. i. e. accessit et pollicitus est; partici-
pium enim praesens per verbum finitum eiusdem tempori-
ris explicandum est. Perinde vero est plerumque, utram
prius an posterius verbum in participium commutes, eodem
itaque sensu dici possit, *accedens pollicitus est*. Si-
duo verba practeriti temporis unam rem post alteram fac-
tam indicant, participium praesens locum non habet.
„Hacc enim participii praesentis temporis ac gerundii na-
tura est, ut simul utrumque fieri demonstret cum verbo.“
Corrad. de L. L. VI. Itaque pro *Cato sedet et ambulavit*,
dicai non potest, sedens ambulavit, recte vero cum Va-
ler. Max. *verberibus affectam necari insit*, cum Cic. off.
I. consiliis diligentiisque nostra celeriter de manibus audaci-
simorum delapsa arma ceciderunt, cet.

C. Per particulias ubi, cum, dum, postquam, si, ut,
quamvis, quod, quia cet. Bellua ad id solum, quod adest,
quodque praesens est, se accommodat, paulum admodum sen-
tiens practeritum et futurum. Cic. i. e. quia sentit, vel
ita ut sentiat, vel sentit enim. Vnum enim idemque par-
ticipium pluribus modis exponi potest. — Aliud aliis
generis exemplum: *homines quosdam non posse generare*,
quamvis omnium membrorum numero constante, manifestum
est, pro quamvis omni. memb. numeris sibi constet. Co-
lumell. Si itaque participio additae sunt particulae con-
cessivae quamvis, quamquam rel. illud explicatur solum per
verbum.

§. 92.

De Constructione adverbiorum.

Sequitur, ut de ultima orationis parte exponamus, de particulis, quarum sunt tria genera, unum adverbiorum, alterum coniunctionum, tertium praepositionum. (Interiectiones enim non pars orationis sunt.) Adverbiorum vero doctrinam in quinque locos dividimus, quorum primum obtinet descriptio, alterum distinctio, tertium comparatio, quartum significatio, constructio denique quintum.

I.

Adverbium ea orationis pars est, qua propositionis praedicatum planius explicatur definiturque accuratius. Unde illud apponitur maxime verbis, participiis, adiectivis: at vero et aliis orationis partibus, imo substantivis. Hoc vero si sit, substantiva adiectivorum induunt naturam, ut in illo Ciceronis: *Homerus plane orator*, et in similibus. Omne igitur adverbium notam aliquam secundariam exprimit, ut praedicatum primariam, unde intelligis, magnam esse adiectivorum et adverbiorum cognitionem.

2.

Eadem vero adverbia et coniunctionibus praepositionibusque adsinia esse videntur. Quauquam enim diversae naturae sunt, fieri tamen potest, ut vocabulum aliquod pro diversa significatione in diversum transeat genus, et modo, modo illuc referatur. Et sane ita sese res habet cum adverbii quibusdam, verbi causa cum *quando*, *ubi*, *unde* ceterae, quatenus sunt loci et temporis attributa, pro adverbii sunt habenda; quatenus vero propositionem propositioni annexunt, pro coniunctionibus. Haec eadem ratio cognitionis adverbiorum et praepositionum est. Vtrumque vocabulorum genus multum differt quidem, sed sit tamen interdum, ut unum in alterum transeat. Adverbia enim, alias absolute, i. e. sine casu posita, interdum cum casu construuntur, ut, quod praepositionum proprium est, rationem quandam aut loci aut temporis accuratius explent. Omnis vero aut loci aut temporis ratio vel accusativo

tiyo vel ablativo exprimitur, unde fit, ut alia cum accusativo, alia cum ablativo constructa reperiantur.

3.

Iisdem deinde adverbii comparatio accidere potest, quippe quae magis aut minus recipiunt. Est igitur adverbium comparationis cupax ratione significationis. Sunt, quae omnem comparationem respiciunt, ut *hic*, *illuc* cet. non potest enim res aliqua magis aut minus *hic* esse. Similiter vero et adiectiva sunt, quae nullam admittunt comparationem ut, *omnis* cet. Omnis ergo comparatio in significatione vocabulorum posita est. At vero, etiamsi adverbium comparationis sit capax, tamen non sequitur, ut illa forma ipsa seu terminatione exprimatur, id enim ab usu pendet. Sic *verba*, cum magis minusve recipient, comparationem sane admittunt, sed non placuit, linguae Latinae auctoribus verbis ipsis indere illam, quia, opinor, iam tot notis secundariis referta videbantur. Attamen sunt nonnulla, quibus comparatio adiecta est, ut *verbis malle*, *praeflare*, reliquis non placuit, non enim dicitur *mamare* pro magis *amare*. Comparatio itaque verborum adverbii comparatio ipsa fere terminatione significatur.

4.

Ad significationem adverbiorum quod attinet, admodum multiplex est ea in Grammaticis; at praeeunte Theodoro Gaza, qui a quavis praedicamentorum classe adverbia derivari posse irre contendit, (*διὸ δὴ καὶ αἱμενούς ισως δέκα καὶ τῶν επιφρεγμάτων γενή θεοῖς ἐπείνα, ἐπίσιαν, ποιού, προστον, προστι κ. τ. λ.* Gram. Introd. I. 2.) non dubitamus, quin infinitus eorum numerus multo accuratius contrahi possit ex recentiore philosophia quam ex antiquissima illa.

5.

De constructione adverbiorum tres proferuntur regulae; una de eorum constructione cum certo quodam comparationis gradu, altera cum casu quodam substantivorum; tertia cum certo quodam verbi modo. Omnis vero haec constructio non tam rectio dicenda est, quam convenientia ad.

adverbia enim per se neque casum, semper aliunde penden-
tem, neque modum regunt.

A.

De constructione adverbiorum cum certo quodam compari-
tionis gradu iam supra satis dictum putamus. cf. §. 78.

B.

Constructio adverbiorum cum certo quodam casu, iis-
dem subiecta est regulis, quae supra §. 80 — 83. propo-
fitae sunt, utrobique enim eadem res, eademque ratio. Un-
de fit, ut adverbia *derivata* primitivorum sequantur con-
structionem.

a) Adverbia igitur superlativi gradus genitivum ad-
sciscunt, ut enim dicitur *optimus omnium*, sic *optime omni-
um*, utrumque ex una eademque caussa cf. §. 80.

b) Adverbia ab adiectivis derivata, quae cum dativo
construuntur, cum eodem iunguntur casu. Hinc dicitur
congruenter naturae convenienterque vivere. Cic. cf. §. 81.

c) Adverbia comparativa cum ablativo plerumque le-
guntur, ut *nihil lacryma citius arescit* Quinct. cf. §. 83. —
Plus, amplius, minus interdum etiam cum nominativo et
accusativo, ut *vulnerantur amplius sexcenti*. Cac. Haec
vero hactenus de adverbii derivatibus.

d) Multa adverbia *loci, temporis, et quantitatis* cum
genitivo construuntur, ut *eo insolentiae processit*. Plin. *Huc
malorum ventum est*. Curt. Sed hi genitivi a relatione pen-
dunt, (de qua §. 80.) non ab adverbii. In phrasi enim
Plinii: *eo insolentiae processit*, *eo ad processit* pertinet, et
insolentiae per se respectum designat, ut *eo insolentiae* expli-
cari possit, (non suppleri) per *eo processit insolentiae respectu*,
seu *eo processit in insolentia*.

e) Alia construuntur cum accusativo, quo in genere
sunt *circiter, pridie, postridie, prope, versus, usque, abhinc,
intus*; alia cum ablativo, ut *aequa, foras, procul, seorsum,
simil*, denique etiam *abhinc et intus*. Exempla paucum obvia;
id vero probe notato, casus hos neque ab adverbii ipsis ne-
que a propositione intellecta, quae ipsa nihil regit, regi,
sed unice pendere ex regulis supra de accusativo et ablativo
generatim propositis.

C.

Sequitur, ut de abverbiorum constructione cum certo quodam verbi modo dicamus. Patet vero, hanc etiam constructionem convenientiam potius quam rectiōnēm esse dicendam. Nam *regere modum*, quid aliud est, nisi causam esse et rationem, quae ad explicandum verbi modum sufficiat? Quid vero, si modi per se siveque vi nativa in oratione occurant? Quod quamquam ita se habet, multae tamen particularum, cum modorum significationem adiuvent eos que definiant accuratius, ad eos referenda videntur. Quo autem in genere pauca admodum adverbiorum sunt, si, o si, utinam, item *ut* et *quam* (in significatione optandi,) cum optationem significant, omnino sunt coniunctivo consentanea. Reliquae vero, quae hoc loco citantur, particulae non ad verborum modos, sed ad eorum potius *tempora* spectant, ut *cum*, *dum*, *postquam*. — *antequam*, *priusquam*, *simil*, *simulac*, *simul ut*, *ubi* cet. Alter vero temporibus adiici *heri*, *cras*, *aliquando*, aliter *cum*, *dum*, *postquam*, quis est, qui sentiat? Illud enim adverbiorum genus nihil nisi tempus spectat, hoc simul orationis membra connectit, unde etiam huius generis adverbia *coniunctiones adverbiales* nunquam pantur. Quaeritur autem, si verborum modi ab his particulis non regantur, a quo pendeant, quae sit eorum natura, quae indoles? Quia de re pauca dicenda videntur.

Appendix de verborum modis

A verborum temporibus ordiamur. — Verbo, ut constat, non *praedictum* modo significatur, verum etiam *tempus* aliquod consignificatur, et praeter utrumque *modus*, quem dicunt. Ipsa verbi terminacione quaevis illa quidem maior temporis divisio designatur, non item minores partes. Etenim non tempus verbi exstat, quod *heri fui*, *hodie sum*, *cras ero*, denotet. Igitur *heri*, *hodie*, *eras*, *olim*, *aliquando*, *iam*, *nunc*, *postea*, *mox* etc. non nisi secundariae sunt temporum notae, nulla peculiari verbi terminacione expressae, (aliоquin innumeris verbi temporibus opus foret.) Horum vero adverbiorum quamquam alia praeterito tempori consentanea sunt alia praesenti, alia futuro, nemo tamen est, qui ab adverbio *hodie* praesens a particula *cras* futurum *regi* dicat.

Jam

Jam vero ad verbi modos transeamus, videamusque, utrum eadem fortasse sit particularum modis affectarum ratio, atque adverbiorum appositorum temporibus. Primum autem in vim atque naturam modorum inquiramus.

Omnis oratio cum humanorum conceptuum expressio sit, sequitur, ut verborum quoque modis conceptus quidam designetur. Quæritur igitur, quaenam in ipsis verbi terminationibus, significatio latet? Logica illa, opinor, intellectus seu rationis humanae modalitas, i. e. modulus, quo aliquid aut esse, aut esse posse, aut necessario esse mente concipitur. Quidquid vero est, id certum est ac determinatum; quidquid autem esse potest, id dubium atque incertum; quod denique ita est comparatum, ut vel ex conceptu eius, quod esse potest, intelligatur, necessarium dicatur; quod ergo tum ei, quod est, tum ei quod esse potest, ad sine esse cogitatur. Si vero ex his conceptibus verborum modi oriuntur, manifestum est, tres tandem modos verbi esse posse, unum, quo certum aliquid ac determinatum designetur, hunc dicunt *indicativum*; alterum, qui, quae incerta atque indeterminata, exprimat, hunc *conunctivum* appellare solent; tertium denique, qui necessitatem notet, hunc *necessitatis modum* nuncupare licet.

Noli vero putare, necessario esse faciendum, ut himenti conceptus ipsorum verborum inflexione notentur, possint et affectione aliqua signari, ut comparationis gradus verborum magis minusve recipientium. Jure igitur Sanctius 1, 13. „Modus in verbis non attingit verbi naturam“ — (i. e. non necessario requiritur, ut modus verbi ipsius declinatione notetur,) — „ideo verborum attributum non est.“ — (Quae sequuntur, male quadrant, ostenduntque Sanctum modorum naturam atque vim parum perspexisse.) — „Explicatur frequentius per casum sextum, mea sponte, tuo iusso feci, non raro per adverbia; ut male currit, bene loquitur.“ — (Haec adverbia non ad modum verbi referuntur, sed exponunt accuratius verbi praedicatum. Quae vero idem addit, bene se habent.) — „Cum Aristoteles de modis seu de modalibus disputat, contingenter, necessario per accidens currit, saepe dicit.“ — Atqui si non est, quod modus

ver-

verbi ipsis terminatione notetur, eo minus miraberis, quod Latina lingua, ut reliquae, peculiari propriaque verbi declinatione ad necessitatis modum exprimendum, plane caret, facile enim vel per adverbia, vel per alias locundi rationes suppleri poterat.

Falsa tamen haec modorum descriptio videri possit, — cum nec imperativi, nec infinitivi, nec optativi ne aliorum apud alios grammaticos occurrentium modorum ullus fiat mentio, — sed illa nihil rectius. Cum enim omnis oratio a ratione pendeat, quartus modus a tribus his plane diversus, ne cogitari quidem potest. Si notas modorum secundarias respicias, infinita sane verbi declinationi multitudo fingi potest, quibus designantur. Inde ortus est Graecorum optativus, qui ad coniunctivum pertinet. Quidquid enim optatur, id in numero rerum cogitur, quae esse possunt. Peculiaris igitur forma ad operationem notandam locum quidem habet, sed sane supervacaneum. Eadem fere ratio imperativi est, quatenus enim ad modalitatem refertur, tribus illis primariis modis subiectus est. Quod vel inde intelligitur, quod nunc coniunctivi praesente variatur, nunc indicativi futuro. Est vero etiam necessitatis modo ad finis, officium enim et debitum non raro denotat, unde factum est, ut in legibus ferendis adhiberetur: ut in illis Cic. *Justa imperia sunt, iisque cives modesti ac sine recusatione parento.* — *Salus populi suprema lex esto;* — attamen, cum nequeat omni propositioni, in qua inest necessitas, aptari; non ipse est necessitatis modus. De infinitivo, seu verbo infinito, (haec enim denominatio longe optima est,) supra disputavimus. Hoc addere non alienum videtur. Cum in verbo infinito omnes mentis humanae conceptus primitivus seu principales contineantur, hinc etiam modalitas, quae vero non primaria est nota, neque esse, neque dici potest modus. Suffragatur Scaliger et Vossius. Vtrique per se esse modum verbum infinitum negant, hic in eo rationem collocat, quod numeris ac personis caret, ille in eo, quod nullam animi inclinationem ostendat. In definiendo enim verbi modo omnes fere grammatici, iisque principes, ad animi inclinationes, quas modis expressas volunt, provocant. Hac de re pauca differemus.

Quam-

Quamquam triplex est animorum natura, ita ut una pars in ratione sit posita, altera in appetitu, tertia in vi sentiendi, tamen, cum omnis oratio vertatur in ratione, (cui omnes tribuuntur conceptus,) duarum reliquarum partium nulla dicitur ratio. Quidquid igitur in oratione occurrit, ad conceptum quempiam referatur, conceptus ipse ad rem. Igitur verborum modi ad conceptus referantur, necesse est. Unde sit, ut eodem verbi modo utamur, res vel ad intellectum pertineat, vel ad appetitum, vel ad sensum. Finge vero probe a grammaticis modos per animi inclinationes esse definitos; consequens est, ut, quot animi inclinations, tot sint verborum modi statuendi, i. e. innumerii. Quamquam vero de universis verborum modis male a grammaticis disputatum intelligimus, de singulis tamen modis, corundemque usu multa praecipue subtiliterque exposta videmus.

Indicativum dicunt definite significare ponique in re certa atque indubia, illius igitur esse simpliciter indicare ac determinate, vel interrogetur, vel respondetur, vel rogetur, vel promittatur, vel definitur quid est. omnia haec bene, praecipue ad nostram quadrant definitionem. Sed iam animos ad rem attendite, quae gravissima esse, ac vel una sere nostram de modorum rectione sententiam confirmare videtur. Idem obtinet grammatici, *indicativum ex se suaque vi insita pendere, nulloque indigere supplemento.* Quid verius, quidve rectius?

Coniunctivum vero indefinite inque dubia atque incerta significatione adhibere doceant. Alii modum hunc, quia vel coniunctioni subiungatur, adverbisque indefinitis ac pronominibus, vel quod alteri verbo subiungatur, vel quod sibi alterum subiungat verbum, iam *subiunctivum*, iam *adiunctivum*, iam *coniunctivum* appellant, alii *optativum*, seu *potentiale*, hocce nomen a significatione ductum est, reliqua a constructione. Contendunt vero, nullam coniunctivo vim ex se tribuendam esse, sed fere ubique ex clisis pendere, qua in re demonstrata sedulus in primis est Perizonius ad Sanct. M. qui ubique supplementa ita urgeat, ut, iis acceptis, omnis oratio non ingrata solum auribus et molesta evadat, sed distorta etiam absconque et a recta sententia plane devia. Sed noli mirari, quod Perizonius

zonius ubique sua commendat supplementa, ex eius enim sententia tota fere Latina lingua est elliptica, (ad Sanct. M. I, 15.) Vereor ne frustra sit, nostra certe sententia longe alia est. Nobis enim coniunctivus neque ab expressa neque a suppressa particula, neque ab ellipsis pendere videtur, sed a vi potius nativa atque insita. Aliud esse dicunt, definite indicare, aliud indefinite dubitativeque ac sub certa conditione. Atqui si illa ratio cogitandi potest indicativo exprimi, sequitur, ut haec quoque coniunctivo designari queat. Et ita est. Etenim particulae, vel quidquid modis iungatur, non regunt eos, (quippe qui a ratione cogitandi, a sensu verborum pendent,) sed accurati tantum definitiunt, suntque eorundem notae secundariae quaedam. Quamquam particulae per se absoluteque summae nullam absolvunt sententiam, tamen ita est comparata significatio earum, ut nota, quae in iis inest, bene ad hunc illum quadrat modum. Ita particulae *utinam* et *ut* cum coniunctivo construuntur, illa enim optionem, haec finem declarat, utrumque vero ita mente concipiatur, ut, utrum adsequaris, plane dubiam sit atque incertum, hinc exprimentum est, coniunctivo: ut vero definitur, utrum expounded optatio sit, an finis, additur *utinam* et *ut*. Vtraeque igitur particulae *conveniunt* quidem cum coniunctivo, modulus vero ipse a ratione cogitandi pendet. Sin a particularis, non video, qui fiat, ut eadē pasticula iam indicativo iam coniunctivo iungatur; neque intelligo, si particula prima vox sit, qua, quid definite quidque indefinite cogitandum sit, dignoscatur, cui tandem sit utilitati nova quaedam huius modi terminatio. Varias vero coniunctivum sustinere functiones, vel ex eo appareat, quod veteres illius vim aliquibi interpretantur. Quod Cicero „pace tua dixerim“ id Ovidius „pace tua dixisse velim“ extulit. In illo Virgilii: „Quis cladem illius noctis — Explicit, aut posset lacrymis aquare labores“ explicit tantudem valet, quod posset explicare, contraque posset aquare idem ac aquet. Conf. Cic. off. I. *quos caros habeat, tuerique debeat.* Coniunctivus igitur non raro explicatur per velle, posse, debere. Eademque vis potentialis modi in iis etiam verbis, quae aliis expresse subiunguntur, residere videtur. Etenim: *nihil est, quod vereare*, idem est, ac, *quod vereri debeas.* Eiusmo-

di

di locutiones, quae multae reperiuntur, quasi pleniores sunt, bene de his Vrsin. contra Sciopp et Perizon. Seet. V. c. VII. „Et reliquos modos finitos, indicativum et imperativum, scimus circumscriptos; nec sequitur inde continuo orationis non circumscriptae ac simplicis causam in circumscriptionibus eius generis esse quaerendam, quasi per ellipsis esset statim suppressum, quod aliquando ex abundantia forte additur“ — Attamen non alienum se plane ab omni verba modi huius alicubi supplendi ratione profitetur. Vnde haec supplementa collegit

1) Vbi imperativi vice fungitur coniunctivus, fac, facito vel tale quid intelligi potest. E. g. valeas, plenum fac, cura ut valeas. Atticae meis verbis salutem des, desit forte velim. In ames parentem, si aequus est; si aliter, feras, forte par est, in aliis alia.

2) Vbi optatio inservit, precor, opto, voveo, velim.

3) Vbi permissione seu concessio notatur, esto, licet subaudiri possit. E. g. hoc Terentii: profundat, perdat, perreat, nihil ad me attinet, integrum sit, esto, licet ut profundat.

4) Vbi debitum vel officium significatur, par, fas, aequum est, convenit, oportet ut. E. g. in hoc Virgil. at tu dictis, Albane, muneres, intelligi potest, fas, oportebat ut.

5) Vbi facultas seu potentia, item voluntas, per est tur, quod, ut, non incommoda suppleri queat, non raro, ubi potentia notatur, per licet, ut videoas, cernas, i. e. videas licet.

6) Interdum oratio per γνωρία comitia quoddam praecedens supplenda est, ut particula vel apposita, vel suppressa. E. g. Plautinum hoc: mihi ut tu dederis pullam, Scioppius ita supplet: factumne est ut cet. Hoc Terentianum: Hancine ego ut contumeliam in me accipiam, per aequum, par est, convenit, non male suppleas. In Horatiano: impune ut urbem nomine impleris meo, patiarne, seramine quasi praemissum cogites licet, in aliis alia“ — Non male, modo sic expositam velit orationem, non expletam.

Ex his simul coniunctivi usum videoas, adhibetur pro imperativo ut illius rigorem emolliat. Pro eodem imperativo futurum primum non raro occurrit, ut puerum Cicero-

nem

nem curabis et amabis. Cic. *Tu haec silebris.* Id. i. e. *cu-*
ra, ama, file, nisi forte lenius atque oblique imperet haec
 forma, quasi ultro ipse, quod volumus fieri, futurus sit,
 a quo id petimus. Contra Bangius notat ad Virgil. Aeneid. 2. *referes ergo haec, et nuncius ibis Pelidae genito-*
ri, vehementius imperium haec verba continere. — Deinde coniunctivus optando inservit, deinde notat permissionem, deinde debitum vel officium, denique facultatem seu potentiam, item voluntatem.

Ex omnibus igitur intelligitur, proprium esse coniunctivi modi, incerta, dubia, hinc etiam *futura* significare. Vnde Sanct. Minerv. I. c. 13. „illud, inquit, acriter advertendum, omnia tempora secunda, (i. e. Coniunctivi,) pro futuro posse ponī.“ — Nihil rectius, in coniunctivo enim propter incertam inque posterum impletandam conditionem necesse est, futuri significatio lateat. dicam aliter, res futurae, quoniam futurae sunt, incertae sunt ac dubiae, atque coniunctivus res incertas denotat, ergo et futuras. Vnde recte dicitur, *adest, qui nos doceat*, si res indicatur futura, nondum facta, sed facienda, hinc incerta. Aliter se res habet, si dicitur: *adest, qui nos docet*, his enim verbis indicatur res nota et consueta, i. e. certa, cuius ratio quaerenda est in tempore praeterito, et quotidiana consuetudine.

Vna est exceptio, ubi in re certissima coniunctivus occurrit, idque fit cum particula *cum* et in significacione causalitatis temporis. Vnde ratio huius constructionis petenda sit, plane ignoramus. Cf. Bauerus et ad Sanct. Min. I. 13. p. 110. Sunt vero et alii loci, ubi, praesertim vetustiores indicativo et coniunctivo promiscue usi videntur. Ad quatuor genera revocavit Vrfinus T. I. p. 577. dum recenset:

„Vel 1) sine discrimine ac promiscue particulis *cum, si, nisi, quod, item, antequam, priusquam, postquam, si-*
mulac aliisque verba indicativi vel coniunctivi modi iuncta.“ — Res omnino mira, demonstrandus enim erat
 promiscuus modorum usus, et provocat ad promiscuam particularum constructionem. At vero ex ea ipsa re concludimus, modos a particulis haud pendere, sed eandem particulam pro alio sensu alium modum comitari. Supra
 M dixi-

diximus, particulis notas inesse posse, quamobrem coniunctivo magis convenient, quam indicativo, et contra. Esse vero etiam potest earum significatio tam vaga, ut utrique modo convenient. Quid, quod fieri potest, ut particularia, quoniam in plerisque locis coniunctivo convenit, in aliis etiam, dubi pro sensu indicativus ponendus erat, cum eodem coniunctivo construatur. Quis attem dixerit, si, nisi vis, et si, nisi velis eodem sensu esse accipienda? si occurrat sine discriminē: gaudeo, quod dixit, et gaudeo quod dixerit; vera haec est modorum confusio, vis enim propria eorum tollitur.

„Vel 2) verba diversorum modorum copulata, ut in his: eloquere, quid tibi est, et quid nostram velis operam; — Chrysalus mihi nec recte loquitur, quia tibi aurum reddidi, et quia te non defraudarim; quae Plauti sunt, item in hoc Ciceronis: num P. Decius, cum se devoveret, et equo admisso in medianam aciem irruerat, aliquid de voluptatibus cogitabat?“ — Putarim, loca haec naturae modorum satis convenienter esse posita. In priore Plautus vix aliter poterat, etenim est ad rem praeteritam certamque, velis ad rem futuram incertamque referendum est; in posteriore loco duas causas proferuntur, quare C. non recte loquatur, una indubia, altera dubia, hinc indicativus et coniunctivus. In loco Ciceronis devoveret conatum agendi, irruerat actionem ipsam indicat, hinc modorum diversitas.

„Vel 3) in oratione in definita, quae per pronomen quis seu qui, item per particulias infinitas alteri orationi subiungitur, indicativi verba more Graeco adhibita, ut in his Plantinis: video, quam rem agis; non potest dici, quam indignum facinus fecisti; item in istoc Terentiano: non dici potest, quam cupida eram huc redeundi, et“ — In eiusmodi exemplis archaisnum vel poeticam licentiam metri legibus condonandam agnoscit Vrbinus. Oratio haec indefinita et obliqua nuncupatur, opponiturque rectas. Causa igitur in promptu est, quare pronomina, ac particula, quas in oratione recta indicativus sequitur, in oratione obliqua cum coniunctivo construi soleant. In oratione enim obliqua duo sunt enuntiata, quorum unum ab altero suspensum est. Id ubi non locum habet, ubi alterum

terum per se sententiam absolvit, alterum insertum modo est, ibi indicativus adhibetur. Ut in hoc Ciceroniano: *Nescio, quo pacto, ad praecipiendi rationem delapsa est oratio mea*, quod Barnerus cl. ad Sanetii Min. I. 13. ita expedit: *oratio mea delapsa est ad p. r. nescio quo pacto,* (sc. id factum sit). Multo plura eius generis loca Cörnlius collegit ad Sallust. Heusinger. ad Cic. off. aliquae ad alios scriptores.

„Vel 4) alia, ubi alioqui coniunctivo intantur veteres, ratione atque usu indicativum postulante, ut: *debetis velle, quae velimus.* Plaut. *Quid est, quod tu scias,* atque alia. Et contra indicativo pro subiunctivo, ut in hoc Cic. *auctoritas tanta plane me movebat, nisi tu oppo- suisses non minorem tuam.* Item in illo Horat. *me truncus illapsus cerebro sustulerat, nisi Faunus ictum dextra levaf- set.* — In prioribus locis vis indefinita verborum satis superque patet, de posterioribus Vrsin. ita: In locis Cic. et Horat. de re certo futura, quae in eo iam erat, ut fieret, aut facta iam esset, nisi impedimentum quoddam intervenisset, per emphasis usurpatur indicativus. — Ut meam hac de re sententiam paucis dicam, in omnibus id genus locis *necessitas consequentiae* respicitur, unde indicativus, quid enim necessitate certius. A veterum interpretibus hic indicativi usus *enallage* dicitur, quo nomine nihil exponitur. cf. Drakenb. ad. Liv. 41. 24. 4.

§. 93.

De constructione coniunctionum.

Coniunctio propositionem aliam alii adnectit, unde συνδετης Graecis dicitur, quod, ut ait Diomedes, pro vinculo interponitur orationi, laxatum enim, addit, et diffusum sermonem, more catenae, interposita devincit.

Definitione itaque differre adverbium et coniunctionem facile intelligitur; sed ultra vocibus quibusdam conveniat, id est, de quo saepius ambigitur. Tantam enim esse adverbiorum et coniunctionum cognitionem dicunt, ut aliquando vix discerni possint. Parum certe hac in re sibi constant cum veteres tum recentiores. Quas enim particulas alii coniunctiones vocant, easdem alii adverbia.

M 2

Vn-

Vnde etiam sit, ut eadem particula bis occurrat, cum pro diversa significacione, diversoque, quo mutare tuo iungatur, modo, alias adverbium sit, alias coniunctio. Huc referunt *ac*, *atque*, *quum*, *igitur* (pro *deinde*, *postea*), aliasque. Quin etiam quasdam esse contendunt quae sub una notione geminam, adverbii simul et coniunctionis, vim includant, sive mixtam ex adverbio et coniunctione significacionem habeant. Huc referunt *nec*, *neque*; quae, quae negent adverbia, qua copulent, coniunctiones esse dicunt. Veteres has dubiae classis particulatas *adverbia conjunctiva*, et *coniunctiones adverbiales* appellarunt.

Idem diffensus est vetustiorum et recentiorum grammaticorum in constituendis coniunctionum significacionibus. Cautius hos sibi propiscere Vrbinus obtinet, qui certo numero significaciones coniunctionum circumscribi posse commode, negent. Hos idem fecutus in novem classes digerit, in copulativas, disiunctivas, concessivas, adversativas, causales, conclusivas, seu ratiocinativas, conditionales, exceptivas, ordinativas, seu continuativas. Haec fere Vrbinus. Multo commodius Sanctius I. 18. Coniunctionum officia distinguere, grammatici muntis non est. —

Verba ad notiones aliquas esse referenda, verborumque compositionem ab illa notiorum pendere, vel ex orationis definitione elucet. Verba vero composita, quae sententiam absolvunt, enunciata seu propositiones, (et sensu grammatico periodi) vocantur. Omnes autem propositiones, cuius generis cunque sint, aut enunciatio nuntiatur aut ratiocinio, utrumque vel categoricum est, vel conditionale, vel disiunctivum. Deinde enunciata vel simplicia sunt, vel composita, compositorumque compositione vel patet vel latet, unde vel copulativa vel expontibilia nuncupantur; item ratiocinia vel simplicia sunt vel composita, habentque vel legitimam formam, vel non habent. Omnia vero haec propositionum genera particulis connectuntur, quas *coniunctiones* vocant. Coniunctiones igitur ad propositionum relationem potissimum pertinent, sicutque tot earum classes, quot sunt propositionum genera. Vnde coniunctiones conditionales et disiunctivae,

ad-

adversativa et conclusiva, hinc copulativa, hinc causales hinc reliquae.

Est igitur coniunctio et adverbium plane quidem diversae naturae, sed diversitas haec non omnia tollit cognoscendum. Nam coniunctioni praeter vim connectendi nota quedam inesse potest vel loci vel temporis, vel affirmativi vel negativi vel certi vel incerti est. Probe vero notandum est, coniunctionem, cum ad propositionum relationem pertineat, ad modos verborum reges dos non esse inventam. Quae vero cum ita comparata esse possit, ut vel indicativo vel coniunctivo maxime contentanea sit, necessario est faciendum, ut cuiusque coniunctionis vis ac potestas penitus perspiciatur. Sanctius de nonnullis eruditis, ut solet, disputavit III. 14 de pluribus Vossius, Vrbinus aliquique. Longum vero est, omnium significacionem et constructionem explicare, ex multis igitur duas tantummodo *quod* et *ut*, observatione dignissimas eligemus.

De *quod* particula satis longas habemus Sanctii et Perizonii dissertationes. Primum eos audiamus, deinde videamus, quid de eorum sententia sit iudicandum.

„*Quod* particula, Sanctius ait, prima Latinam linguam post Ciceronis aureum seculum ausa est depripare. — Particula *ōti* invexit haec tanta mala, quia vertentibus Graeca Latine aut omnino esset omittenda, aut aliter, quam per *quod*, *quia*, *quoniam* esset explicanda. — Cicero multa transstulit ex Graecis, ubi particula *ōti* passim occurrit, nusquam tamen apud Ciceronem apparet. Quo scelo argumento barbare loqui omnes contendeo, qui *nico* *quod*, *credo* *quod*, *sciendum* est *quod*, passim blaterant.“ — Vox igitur *quod*, nisi relativa sit, ut aiunt Grammatici, locum apud Latinos non habet. Relatio est in illo Ciceronis: *Quod epistolam concissam doles, noli laborare*; nam ordo et sensus est, *noli laborare circa id, quod; vel ex eo, quod, vel propter id, quod*. Sic Martial. Non miror, quod potat aquam tua filia, Bassa; i. e. non miror de eo, quod, vel propter id, quod, deest Graece *natos* i. e. ob id, quod.“ — Sed contra meum hoc praeceptum non solum aemuli sed amicissimi auctores opponunt gravissimos. Ex epistola 17, ad Brut. citantur haec: *Do-*
let

let mihi, quod non stomacharis, sed nullo sensu. Doctiores ita legunt: Dolet mihi, tu non stomacharis. Ovid Trist. 5. 1. *Si quis delicias, lascivaque carmina quaerit; praemoneo, nunquam scripta quod ista legat* Nihil hoc pentametro vidi putidius, magisque barbarum, quis enim dicit ista, in hoc sensu? quis praemoneo, nunquam quod? — Thomas Linacer supine confirmat, Latine dici: dico quod, affero quod. — Ahibetur tamen saepissime, inquit, eadem coniunctio quod. Mar. ial. Nescio, tam multis quid scribas, Fauste, puellis; hoc scio, quod scribit nulla puella tibi. Seneca in natur. quest. *Nos putamus, quod, quia nubes colligas sunt, ideo fulmina emittunt.* — Nunc adductis testimonii ordine respondebo, *to quod in Mart. epigr. 65. relativum est*, quasi dicat: tu multis scribis puellis, quum sis praedico, ut videlicet te ostendas puellarum amatorem, sed ego scio quid sit, propter quod nulla tibi rescribit; quia pueros amas. — Locus Senecae glossema est, si tamen Senecae verba esse contendas, contendo ego quoque, non fore difficile, comprobare, non pure locutum ibi Senecam. — Haec hactenus Sanctius.

Perizonius ita: — „Existimat Sanctius, barbare loqui qui dicant: *scio quod*, *dico quod* rel. Interim ipse ab his locutionibus in hac eadem dissertatione cavere non potuit, dum in eius extremo dicit: *Adde, quod multi eorum Graece scripserunt*. Cuius quidem eadem ratio est, ac si lectorem moneret: *dic insuper, quod*. In contrariam itaque sententiam abierunt Manutius, Henr. Stephanus, Vossius, sed maxime Scicippus. — Prorsus ego cum iis sentio. Nam nimis certe multa et clara in hanc rem sunt auctorum loca, quam ut ea omnia vel corrupta esse possint, vel errorum constructio non facile a quovis perspici potuerit. Praeterea iusta fatis huic locutioni subest ratio, de qua deinceps videbimus. Nunc loca ipsa memorabimus: *Quaerunt qui- dem mihi, sed ego id respondeo, quod animadverti, te dolorem ferre moderate*. Cic. Fateor voculam *id* parere hic aliquid ambiguui, quasi *to quod* habendum sit pro accusativo, qui regatur proxime a verbo *animadverti*. Sed non opus est, ad appositionem aliquam confugere in loco tam plano, cum *to quod*, etiam, quando speciem coniunctionis praefert, revera tamen sit pronomen relativum, quod ante se

re-

requirit necessario nomen substantivum et pronomen *deixtivum*. Disertior est locus, qui sequitur: *Saepe querebatur, quod homines omnibus in rebus diligentiores essent, in amicis eligendis, negligentiores esse.* Cic. In hoc loco a τῷ *querebatur* simul dependet *quod* cum verbo finito et infinitum cum suo accusativo. Ut adeo hic utrinque eadem sit ratio et τὸ *quod* cum finito manifeste ponatur eodem sensu, quo mox infinitum. — *Quod verberatus sum, nescio.* Petron. *Scio, quod virtuti non sit credendum tuae.* Phaedr. *Quando sensissent, quod irrigarentur eorum opera.* Flor. rel. Quocirca non video, quomodo haec aliter explicari queant ac illa *scio quod, dico quod.* — Nunc rationem huius constructionis indagemus, τὸ *quod* est relativum, quem saepe pronomen, ad quod refertur, in lingua Latina exprimatur ut in Cic. loco: *sed ego id respondeo, quod animadvertis, i. e. respondeo id negotium, iuxta quod negatium animadvertis.* (!!!) ubi τὸ *quod* ita refertur ad *id*, ut *qui ad is.* *Hoc scio, quod nulla puerilla scribat tibi,* i. e. *scio hoc negotium, secundum quod negotium nulla, ceterum.* — Haec enim est constructionis et ellipsoes in his ratio!!! In *miror quod, gaudeo quod* rel. intelligitur *propter id negotium, iuxta quod.* Nam quod Sanctius diversas plane putat locutiones et hance reliicit, admittit vero illas *miror quod, gaudeo quod, gratulator quod, in eo nihil ineft rationis.* — Haec fere Perizonius.

Ex his dissertationibus patet, Sanctum aliquod quidem rationis vidisse discrimen, rem vero non penitus perspexisse. Quamquam enim concedit, dici posse: *miror quod, gaudeo quod*, tamen reliicit locum ex epistola 17. ad Brut. *dolet mihi, quod tu nunc stomacharis.* Mira etiam est ratio, quam de hac constructione reddidit. Neque vero magis Perizonius placet. cumulavit enim loca multa quidem, sed sine discrimine, quamque reddidit constructionis rationem, plane absurdam putamus. In eo vero uterque consentit, quod particula haec relativa sit, vel potius ipsum pronomen relativum.

Primum igitur exponamus de origine vocabuli. Trahit quidem eam a pronomine relativo, sed inde non sequitur, ut ipsum relativum sit pro nomen, ut Perizon. contention-

tendit, sed vocula haec abijit in particulam relativam, ut *qui*, *quum*, *quam*, *quo*, *qua*. Vere igitur Sanctius, „*nisi relativa sit haec vox, locum non habere.*“ — Quibus autem verbis nihil explicatur, omnes enim coniunctiones connectunt, unde relativae sunt. Sed ex aliis locis colligi potest, vocem relativam et Sanctio significare pronomen relativum, quo nihil fasius esse potest. Materia quidem utsique vocis plane eadem est, sed forma seu significatio longe diversa. At vero *quod* particulam nil nisi pronomen relativum esse, eo versimilium videri poterat, quoniam non raro refertur ad antecedens pronomen demonstrativum, quod per particulam *quod* exponitur. Pronominis relativi, (quod ipsum derivatur a *que* (nisi,) proprium est, duas connectere propositiones. Omnis autem connexio respectus est unius ad alterum, qui cum multiplex esse possit, fit, ut usus huius pronominis multiplex sit. Legitur enim pro *et*, *ut*, *quia*, *cum*, *etsi*, *cur* cet. quod non tam linguae paupertatem redoleat, quam similitudinem aliquam, quae in connectendis cogitationibus locum habet. Quodsi variam pronominis significationem tecum reputas, non miraberis, usum particulae, quae inde ducta est, aequne multiplicem esse. Id ipsum vero Sanctii et Perizonii vitium maximum esse videtur, quod neuter reliquas huius particulae significaciones rite distinxerit.

1) *Quod* enim particula idem significat, ac *propter quod*, *cur*, *quam ob rem* antecedente verbo *esse*, ut: *Est*, *quod te visam*. Plant. (ich habe einen Grund oder etwas, warum ich dich besuchen muß.) *In viam quod te des, nihil est*. Cic. *Non est, pro malis temporum, quod moleste feras*. Id. *Credo ego, vos mirari, quid sit, quod ego potissimum surrexerim*. Id. Et ita plerumque cum coniunctivo. *Cum indicativo Paut.* *Hoc est, quod ad vos venio, non minus recte.*

2) Non raro est *quod*, particula restringendi, et idem, *quod quantum*, *quatenus*, *quoad*. Manus nostrum ornato verbis, *quod poteris*. Terent. *Nemo, quod sciām*.

3) *Quod attinet ad id, quod*. Cic. *Quod scribis, tibi manendi causam fuisse, id mihi gratum est.* — *Quod me accusat nunc vir, sum extra noxiā*. Terent. et ita saepius.

4) *Et-*

4) *Etsi. Quod sum ligneus*, prendam te tamen Aut. Priap. 6. I. *Quod est virgo*. Ovid. Art. 1. 261.

5) *De tempore. Agite pugni, iam diu est, quod ventri victum non datis*. Plaut. i. e. ab eo tempore, ex quo, vel ad quod.

6) *Quod coniunctio caussalis est, ut in hoc Ciceronis: pungit me, quod scribis, te istuc esse libenter. et ita locis innumeris.*

7) *Quod particula declarativa est, quippe quae explanat, quod praecessit: Id illi vitium maximum est, quod nimis tardus est.* Plaut.

8) *Quod pro supposito verbi est, ut in hoc Cic. Quod me mones, valde gratum est.*

9) *Quod post verbum pro accusativi obiecti, ut in hoc Plautii: scio iam, filius quod amet meus, quod expllicant, scio filii amorem; seu filium amare.*

Jam videamus, an regulae suppeditari possent, quibus loca in veteribus passim obvia, subiiciantur, prima est, quae sequitur.

Regul. I.

Quotiescumque duae propositiones ita sunt copulatae, ut posterior prioris proximam contineat causam, toties quod adhiberi potest.

Non miror, *quod aquam potat*. Mart. *Quod spiratis, indignantur*. Liv. *Dolet mihi, quod tu nunc stomacharis*. Cic. *Saepe querebantur, quod homines omnibus in rebus diligentiores essent, — in amicis eligendis negligenterios*. Cic. *et sic sexcenties post verba indignandi, dolendi, querendi, mirandi, accusandi rel. si doloris, querelae, indignationis, vel admirationis causa proxima reddenda est*. Sed noli putare peculiare verborum genus esse, post quae requirant *quod*, Sequitur potius haec particula verbum quocunque, ergo etiam verba dicendi, sciendi, putandi, credendi, si posterius prioris causam continet. Occurrunt loca, ubi pro particula *quod* cum verbo finito, infinitum cum accusativo ligatur, ut: *Pacis te esse cupidum laetor*. Cic. *Moleste tuli, te senatu gratias non egisse*. Id. *et sic passim. Constructio cum quod non est horum loco-*

locorum quasi solutio, sed nihil nisi variatio grammatica, per aliam variationem dici possit: tua pacis cupiditate laetori e. laetor, quod pacis cupidus es, ablativus enim eandem exprimit causam, et infinitivus eundem casum. Similiter se res habet cum altero loco: Moleste tuli, te egisse gratias, i. e. quod egesti gratias, seu de gratiarum actione. Ceterum constructio cum quod causati, ubi locum habet, dillucidior est, quam accusativus cum verbo finito, multoque frequentior.

Regul. 2.

Praeter hunc *nexus causalem*, (de quo regul. 1.) quod particula cum verbo finito nexus denotat inter subjectum orationis et praedicatum, estque circumscripicio subjecti, quae simul causam declarat, quare aliquid subiecto tribuatur.

Id illi vitium maximum est, quod nimis tardus est. Plaut. i. e. *nimia tarditas illi vitium maximum est*. Eiam omisso pronomine demonstrativo: Alterum est vitium (in cognitionis cupiditate), quod quidam nimis magnum studium in res obturas conserunt. Cic. Inter hominem et belluam hoc maxime interest, quod haec ad id solum, quod praesens est, se accommodat. Id. Multa in nostro collegio praecclara, sed hoc in primis (praeclarum,) quod, ut quisque aetate antecellit, ita sententiae principatum tenet. Id.

Regul. 3.

Quod particula duas connectit propositiones, quarum una, (utpote cui praepositum est *quod*,) alterum, indefinite significantem, explicat accuratius, et hoc plerumque ita, ut antecedant pronomina *id*, *hoc*, *illud*, haec enim ipsa sunt, quae, cum absolute seu generaliter sint posita, accuratius definitur.

Nescio, tam multis quid scribas, Fauste puellis;
Hoc scio, quod scribat nulla puella tibi. Martial.
Quo in loco *quod* cum verbo finito pronomen antecedens explicat. Sed facile intelligis, aliud esse: *scio*; *nullam pueram tibi scribere*, aliud, *hoc scio*, quod tibi nulla scribat.

Poste-

Posterioris enim multo fortius est, etenim non solum maiorem excitat exspectationem, sed est quoque in eo maior quaedam antithesis. Deinde probe notandum, ne posse quidem dici, *hoc scio, nullam pueram tibi scribere*, pronomen enim *hoc* necessario requirit particulam declarativam *quod*. Cic. off. I. c. 12. „Equidem illud etiam animadverto, *quod*, qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocatur, lenitate verbi rei tristitiam mitigante, — ubi pro mitigante edidit mitigatam Gronovius. Sed nullum plane reperiri locum, ubi pronomen *hoc* vel *id*, vel *illud* per accusativum cum infinitivo explicetur, mihi persuadeo. Quam parum intellexerint grammatici hanc particulam, ex eorum disputationibus atque observationibus, satis superque apparet. Ad locum citatum Helsingerus ita: „Hoc quoque illico abuti plerunque solent, qui Ciceronem barbare, quam Latine loqui malunt, coque auctore se recte dicere putant, *audio, video, dico, credo, existimo*, puto, *quod* aliquid sit. Sed et hoc praesidium illis Gronovius eripuit, qui praecunribus veteribus libris post alios, (quos Gesnerus comitem in Fabriano Thes. t. 2. p. 423.) edidit: *leuitate verbi tristitiam rei mitigatam*. Nam ita *quod* causale fit, nec quidquam cum animadverto coniuncti habet. Etsi vero Goth. et Vin. cum pluribus vulgariorum lectionem confirmant, eamque nec ipse damnare audeo; apparebat tamen, non probando esse, qui Ciceronem, ubi degravatus aut suspectus certe est, imitari malunt, quam ubi sui simillimus et incorruptus. Ille certe aliis pluribus locis huic ceterisque eius generis verbis infinitivum adiungit; aut, si quando. illud *quod* admittit, cum indicativo id copulat; non cum coniunctivo. Off. 2. 20. *Videndumque illud item, quod, si opulentum fortunatumque defenderis, in illo uno aut forte in liberis eius manet gratia.*“ — Haec Helsing. Quasi idem sit: *scio, credo dico quod, ac scio hoc, quod cet.* quasi modus a particula pendeat. In loco ex officiis citato, Cic. non aliter poterat scribere, nec quaeritur ibi, utrum Cicero post verba *dicare, putare, credere* et similia *quod* cum verbo finito pro accusativo cum infinitivo posuerit, haec enim longe alia est quaestio, sed utrum *quod* ita usurpetur, ut explicet pronomen antecedens? Quo vero *quid* rectius, *quid frequentius?*

Not. I.

Not. 1. Interdum pronomina haec demonstrativa *hoc*, *id* rel. intelliguntur, sed constructionis ratio eadem est, ut in his loquendi formalibus: *adde quod*, *excepto quod*, *praetereo quod*, *taceo quod*, *nihil deo quod ceterum*.

Not. 2. *Quod* igitur particula nexus indicat inter causam et effectum, (cf. regul. 1.) inter suppositum et appositorum, (cf. regul. 2.) inter generale et speciale, (cf. regul. 3.)

Not. 3. Vbi nexus hic triplex locum non habet, (et quartus non est;) *quod* particula adhiberi nequit. Iure igitur Sanctius, Gronovius et alii obtinent, barbare loqui omnes, qui dico *quod*, credo *quod*, scio *quod*, — scilicet pro verbo infinito cum accusativo, — aut ipsi dicunt, aut Ciceronem aliosque cultioris L. L. aetatis dixisse arbitrantur. Bene igitur Gronov. ad Phaedr. f. 83. in notis Schefferi: „aut corrupta aut aliter, pronunciat, accipienda, quae in hanc rem congerit Sioppius.“ — Etenim admodum ambiguam haec constructionem orationem redideret, cum enim *quod*, propositioni posteriori additum, proximam denotet propositionis prioris causam, *opinio-* *nis* vero, *scientiae* ceterum non diversae solum esse possint causae, sed etiam longe aliae ac propositio posterior impeditat; facile patet, hanc particulam post verba dico, puto, scio similiaque locum non habere pro verbo infinito cum accusativo. Sunt igitur loca, in quibus scio *quod*, non ignoror *quod* et similia occurunt, aut aliter explicanda, aut suspecta. Pleraque a Perizonio in contrariam sententiam collecta possunt nostris regulis tribus subiecti, in primis tertiae, in aliis alia huius particulae significatio locum habet. Liceat unum et alterum interpretari, plura Sanctius Gronovius, Bauerus aliquique exposuerunt, unde non est, quod actum agamus. Scio iam, quod filius meus amat. Plaut. i. e. quod ad filii amorem attinet, hoc iam scio. Quod verberatus sum, nescio Petron. i. e. quod ad verbera, adeo non euro, ut nesciam plane. Narravi vobis, quod vestra opera mihi opus sit Plaut. i. e. quatenus.

Not. 4. Vnde intelligis grammatic solutionem accusativi cum verbo infinito per *quod* cum verbo finito, plane falsam esse.

Not. 5.

Not. 5. Supra iam monimus, non peculiaria esse verba, quae aut *ut* aut *quod* aut accusat. cum infinit. requirant, sed omnem constructionem ab orationis pendere contextu. Vnde post idem verbum modo *quod* modo *ut*, modo *accusat*. *cum i fin.* legitur. ut in his Ciceronianis: „*cum scripsit*, *quod cuperet*, me ad urbem venire. — Cato ad Popilium *scripsit*, *ut*, si *eum* pateretur in exercitu manere, secundo eum obliget militiae sacramento. — *Scribis*, *mirari Ciceronem* cet.“

De Ut.

Ad varias huius particulae significaciones quod attinet, delegamus lectorem ad Horatium Turselimum, iam occupati tantummodo in explicando *ut causali*, de cuius origine infra pauca dicemus.

Est vero regula generalis, quibus ceterae omnes subiici posse videntur, quae sequitur:

Regul. 1.

Quotiescumque duae propositiones ita sunt copulatae, ut antecedens contineat consequentis causam, toties adhibetur ut.

Regul. 2.

„*Vt* fere usurpatur de *re futura*.“ Recte, nam una propositio pro causa, altera, (quippe cui *ut* praepositum est,) pro effectu sumitur. Quoniam vero rei effectus tempore posterior est, probe notatur, de *re futura* *ut adhiberi*. In hoc igitur Cicer. „*Rogatus est a me, ut id potissimum — faceret*.“ Preces pro causa sumuntur antecedente, idque quod erat futurum seu faciendum pro harum precium effectu. cf. regul. 1.

Regul. 3.

„*Vt de rei eventu*, etiamsi res ipsa alia mente aliquaque consilio sit suscepta.“ *Vt*: Alii in praedia proficiuntur, *ut* locupletiores revertantur; ego, *ut* pauper. Plin. Bene, nam iter antecedens divitiarum et paupertatis causa. cf. regul. 1.

Re.

Regul. 4.

„Ut finem notat.“ Suscipienda bella sunt, ut sine iniuria in pace vivatur. Cic. Omnis finis, ad causas pertinet, quare aliquid faciendum censemus, hinc propositio prior causiam continet, qua aliquid effici potest. cf. regul. 1.

Regul. 5.

„Ut modum simpliciter notat post voculas tantus, talis, is, ita, eo rel.“ Tanta fuit exspectatio omnium vivendi Alcibiadis, ut ad eius tritemem vulgus confluueret. Cornel. Quo in loco exspectatio causa est consequentis, ergo ratio eadem est. cf. regul. 1.

Regul. 6.

Denique innumerae fere verborum loquendique formularum classes recensentur, quibus *ut* subiungatur. Sed facile vides, regulis his quinque, vel potius uni, ut sint consentaneae, necesse esse, nihilque posse continere novi. cf. quoque not. 5. ad particul. *quod*. Sed videamus, utrum se res ita habeat: *ut* sequi dicunt verba rogandi, e. g. *rogo, ut timori meo consulas*. Plin. hoc in loco preces antecedunt continentque causam, cur speret fore, ut timori consulatur. *Reliquum est, ut per servos id admiserit*. Cic. ubi *reliquum est rationem ultimam eamque antecedentem* indicat, qua res, de qua Cic. loquitur, fieri poterit. *Accidit, ut Hermae — deuicerentur*. Cornel. ubi *accidit occultam notat causam, qua id effectum sit*.

Regul. 7.

*Ut (vel causam generatim, vel finem, vel eventum vel modum significet,) construitur cum coniunctivo. Ratio huius constructionis supra reddita est. Quare vero et in iis locis, ubi nihil incerti inesse videtur, constructio eadem maneat, id ex primario huius particulae usu est. Hac de re Bauerus cl. ad Sanetii M. p. 107. fere ita: „In enunciatis, in quibus *ut* adhibetur, vel consilium notatur, i. e. effectio, imo voluntas rei efficiendae, i. e. nondum effectae, ut: moneo te, ut caveas, i. e. moneo te eo consilio, ea de causa, — vel efficientia, modus, materia rei effi-*

efficiendae, quod Latinae tamen linguae proprium est. Quippe cum Latini dicunt: *is* fuit exitus rei; ita pugnatum est, tanta admiratio fuit, sane ut cum coniunctivo, sequitur, ut Graeci subiiciunt ως cum infinitivo vel quoque indicativo. Cur ergo hic coniunctivus Latinis? Nempe ex primario usu particulae *ut*, consilium notantis, quod plerumque spectetur etiam, et vero emineat in modo, effecto, materia rei tractandae, ad quam referatur consilium, quo vel in aliqua re, vel modo eius tractandae, vel exitu appareat, vel ipsis omnibus teneatur. Unde et explicandi vim saepe habet *ut*, tamquam: natura, situs loci talis erat, ut a paucis defendi posset. Nonne hic quasi consilium effertur loci et naturae eius, hoc praestiturae? Et vero efficit naturae rei consilium, opportunum utenti, vel impedit. —

Regul. 8.

Post verba timendi ut accipitur negative, contraque ne affirmative. Res satis nota, Latinis, vereor ut fiat, de re, quam fieri vellent; vereor ne fiat, de re invisa, quam fieri nollent, esse dictum. Hae igitur formae ita explicari possunt, ut una, vereor ut hoc fiat, sit: cupio, ut hoc fiat, sed hanc ob rem in metu sum; altera: vereor ne hoc fiat, sit: cupio ne hoc fiat, sed hanc ob causam in metu sum. Fere ita Perizon. cf. Vrsin. S. VIII. c. 19.

Regul. 9.

De quod et ut.

Duae haec particulae quamquam sunt plane diversi usus diversaque significationis, regulaeque, quibus subiectae sunt, sibi oppositae: *Quod* enim adhibetur, quoties propositione consequens antecedentis indicat causam; *ut*, quoties antecedens consequentis causam est: attamen grammatici obtinent, *ut* et *quod* permutari inter se nonnumquam. *Ut* (seu *uti* quae antiquior scriptura est,) ut ως apud Graecos accipitur, quod de ὅτι dici nequit, unde ab ως, σ in τ converso, more Dorum, quam ab ὅτι ductum mavult Vossius. Utut est, ὅτι et ως ab una eademque voce relativa originem trahunt, et quamquam diversi usus sunt, tamen

anti.

antiquitus idem notasse verisimile est: plures certe recentiorum temporum linguae reperiuntur, in quibus *quod* et *ut*, *et* et *os* per unam vocalam, quae eadem a pronomine relativo venit, exprimi solent. Ex quo certe intelligitur, Scioppii aliorumque grammaticorum, *quod* et *ut* promiscue sumi apud veteres, obtinentium, non plane esse absurdam. Sed examinemas loca in hanc sententiam prolata, et videamus, utrum haec harum particularum inter se permutatio inde colligi queat.

Habet hoc sollicitudo, quod omnia necessaria putat. Plin. Lubenter fateor, me non videre, qui aliter scribere potuerit? omnia enim necessaria putare, est sollicitum esse, estque sollicititudinis causa.

Non est in medico semper, relevetur ut aeger. Ovid. i. e. medico non semper efficitur, ut cet. locus igitur regulae de *ut* plane consentaneus, ut ille Plinii regulae de *quod*.

Non quod ames oro, sed quod amare finas. Ovid. Epist. Supphus v. 96. quo in loco, si *quod* declarativum sit, emendatione, quae in editis legitur, supersedere possit.

Si verum est, quod nemo dubitat, ut populus Romanus omnes gentes virtute superarit. Cornel. Hannib. 1. Quem locum Bauerus cl. ita explicat: Intellige *id*, quod saepe, etiam per pleonasmum, praemittatur τῷ *quod*, et distingue: Si verum est *id*, ea res, ea sententia, id iudicium, ea opinio, de quo, de qua re nemo dubitat; iam minus offendit illud *ut*. — Quamquam abito, quin haec interpretatio locum habeat, (nam si quis dixerit, Ciceronem scripsisse: *in ea sententia sum ut putem* cet. respondeo, hunc locum ut maxime nostrae regulae de *ut* esse consentaneum,) tamen *id* appareat, quod omnis haec res in interpretatione sita sit. Placet igitur et nobis Boeclerus in Chrestomat. Terent. — „Solet, ait, fieri, ut a consequenti per interpretationem et diversa supplendi explicandi genera unus diversarum locutionum sensus emergat, quae tamen locutiones aut formulae, quantum ad causas Latinae linguae et rationes grammaticas attinet, non sunt pro iisdem habendae.“

§. 94.

De Constructione praepositionum.

Supra dictum est, accusativum et ablativum casus *localis* esse praecipue significationis, atque ob affinitatem et *temporalis*. Temporis enim *imago linea* est, quae ipsa est spati*ū* dimensione quaedam. Vnde, nisi omnia; pleraque certe vocabula loci, de tempore sumuntur, dicitur enim: *procul a Roma*, et *ab urbe condita*, *ubi de loco* et tempore. Vtriusque igitur casus munus est, ut terminum designet ad quem et terminum a quo vel in quo, i. e. motum et quietem. Cum vero omnia, quae sub sensu cadunt, motui et quieti subjecta sint, utrinque vero notae duo hi casus habeantur; late sane patet horum casuum usus. Accedit, quod multas aofines, multas translatas expriment notiones. Etenim non solum verum motum, sed etiam, ut sit in rudi populo, *ἀναδογίνων*, verus est in hoc: *eo Romam* *ἀναδογίνος* in hoc: *amo urbem*, at vero et posterius ita cogitatur, ut amor quasi *transeat* ad aliud quid. Cum itaque duo isti casus tot spati*ū* et temporis rationes designent, praetereaque translatae sint significationis, necesse est, ut eorum significatio non raro ambigua sit, atque incerta, et explicatione definitioneque indigeat. Qui ut diligenter explicarentur accuratiusque definirentur, *praepositiones* inventae sunt. Pertinent igitur illae ad nominia, quorum relationes, accusativo et ablativo casibus generatim expressas, accuratius definitiunt. Tot enim casus, quot sunt relationes, esse non poterant, unde addebatur voculae, quae casuum vices supplerent. Spati*ū* temporis que rationem generatim expressisse sufficiabat, reliquae notae secundariae praepositionibus supplebantur. Par ratio est temporum, modorum, numerorum. Itaque nullus casus est peculiaris, qui, quae in ciro seu orbe vel sunt, vel sunt, designet, inde ab origine nomen quoddam addebatur, quod in partem orationis invariabilēm, transibat. Haec est origo praepositionis *circum a circu*s, quae vox pro in variabili postea tractari coepit, ut in his: *urbes*, quae circum *Capuam* sunt; — *Ter circum Ilacos*, *raptaverat Hectora muros*. Praepositiones igitur

ZOV

N

cul

cultioris aetatis esse debent, quam casus ipsi. Non enim est radioris hominis, cogitata accurate eloqui, et definite. Quae nequit verbis efferre, id manibus totoque corpore ostendit, sensim addit nomina et verba, aliasque voces, quae casuum latius patentium amplitudinem restringant. Hac ratione ortae sunt praepositiones *supra*, *infra* et aliae in a ex neutrī pluralibus nominum adiectivorum; *adversus* tēu *adversum* a verba *advertere*, *iuxta* a *iungere*, *secundum* a *sequi* cet.

Denominatio vero praepositionis naturam illius atque indolem parum attingit, illam inde inventit, quia nominis casum plerumque praecedit, etenim et postponi posset. Apollonio Grammatico dicitur προθέτως συνδετμός i. e. praepositiva coniunctio, quia, ut illi placet, insit in illa συνδετικη συνταξις. Inde, arbitror, profecta est Bangii aliorumque Grammaticorum definito praepositionis, qua sit pars orationis invariabilis, verbo nomine, certo, quem regat, casu adiungens ad significandam circumstantiam quandam. — Huic definitioni, a Jacob Harrisio in Herme suo eleganter exornatae, non immorabitur, non enim exhibet illa praepositionis notam primariam, qua, ut supra diximus, nominum definit explicatque rationem. Ad eam enim est praepositiō semper referenda; si eadem vox verbum respiciat, migrat in classem adverbiorum. Quarum quidem vocum naturam nisi penitus perspexeris, semper dubitabis, utrum particulae quaedam inter praepositiones recipiendae sint, an eiendiadē? Inde factum est, ut multas sua moverit tribu Sanct. I. 16. multo plures Perizonius, uterque vero, quoniam particulae istae non suapte vi casum regent, sed ἐλλειπτικως i. e. vi praepositionis omissae. Ille removit *circiter*, *procul*, *prope*, *versus*, usque aliasque redigit inter adverbia, hic, praeter has, quas recensuimus, *propter*, *iuxta*, *secundum*, *adversus* aliasque. In formula itaque, *prope montes consistere*, ex horum virorum sententia, sermo est ἐλλειπτικὸς et retinetur *ad*. Sed verendum est, ne forte in ipso usū τὸς *ad* alia ellipsis locum habeat! Fortasse autem quispiam dixerit, *prope* esse adverbium, quod praepositioni addatur; ut sit, si explicat haec

VOX

vox casum rationem, praepositionis vicem gerit, nec quicquam est supplendum quod casum regat.

Nulla enim praepositio regit casum, sed rationem aliquam nominum, generatim casibus expressam, explicat accurius. Casus ipsi ab orationis contextu pendent, et si praepositio additur, necesse est, ut sua quaeque significacione cum casu conveniat. Sin regantur casus a praepositionibus, nihil video in lingua Latina variis nominum terminacionibus inutilius, has enim puto iuentas, ut primariae nominum relationes designarentur.

Jam igitur non queritur quem casum quaeque regat praepositio, sed quid significet, cuique casui consentanea sit, ex significacione enim facile patebit quo cum casu sit construenda. Si vero inventae sunt, ut accusativo et ablative inserviant, earum significatio manifesta est, notabunt enim locum proprie, et tempus, hinc motum et quietem, deinde vero etiam numerum, ordinem, proportionem, mensuram, causam, finem cert, eruntque igitur, ut casus, quorum affectus sunt, vel propriae vel inopropriae significacionis. Quod quo magis appareat, dabimus nonnullarum cum proprias tum inoproprias significaciones.

Ad motum notat quocunque, seu terminum quo quemcunque, ut: venire ad urbem; differre ad tempus idoneum. Neque sine motu significat in his: habet hortos ad Tiberim; homines ad quindecim; impiger ad labores; ad amissim; nihil ea est ad nostram.

Ante de loco anteriore, ut: ante domum, inde de tempore anteriore, ante urbem conditam, inde de praestantia, ut: eum ante me deligo; ante omnes pulcherrimus.

Contra de situ ex adverso seu e regione, ut: Carthago Italiam contra, hinc dicitur inoproprie contra spem, contra naturam.

infra de loco ut: infra lunam, de vilitate dignitateque exsuperata, ut in hoc Terentiano: Quem ego infra omnes homines esse puto. Homerus non fuit infra Lycum, de numero designando: non infra duodenos (pedes) habent. Plin.

Praeter de motu per locum. Praeter oculos Lollii haec omnia serebant. Cic. In proprie de adversitate seu diversitate, ut: praeter spem (vor der Hoffnung vorbey, latet itaque in hac vocula alia similitudo ac in contra.) de exsuperantia, praeter modum.

A terminum unde quemcunque notat: ventus flat ab oriente; a Jove principium Musae, de tempore: ab adolescentia, de ordine: secundus a principe, de causa: victus est a Scipione, de origine unde: caput ei a Sole dolet; scito me ab singulari amore benevolentiaque, quaecunque scribo, tibi scribere. Cic.

De de loco: clamat de via illis, qui sunt intus. Terent. de tempore: surgunt de nocte latrones, notat materiam ex qua: templum de marmore, causam ob quem: lastor de victoria, obiectum, ut: seripit de multis, verba de lege sunt verba legis, laudes de Caesare, Caesaris laudes sunt.

E vel ex notat locum unde vel sine motu ut: Ex Aethiopia est usque haec, vel cum motu significatione, e villa reverti, locum in quo, ut: e regione, ex aduerso. Per analogiam cum significatione loci unde, et personae unde, ut: audire ex aliquo. Tempus notat a quo, ex quo: ex eo die. Causam efficientem, ex te ortum est hoc malum, causam materiale, pocula ex auro, i. e. aurea, partem affectam, tanquam originem unde, laborare ex oculis, ex auribus, relationem rerum et personarum ad suum genus: aliquis e plebe.

Haec fere de praepositionibus generatim notanda videbantur, iam pauca de nonnullis singulatim observabimus.

Praepositiones constructionem consuetam interdum non sequuntur, ut: *ad binū milium numero sauciis utrinque factis.* Sistena apud Non. Quem locum Gronov. de pecun. Veter. 1. 7. sic interpretatur et supplet: numero ad capita bintum milium. Ego dixerim potius *ad hoc loco adverbialiter esse abibitum.* Sed in illis formulis *ad Opis, in Veneris, a Vestae,* supple aedem vel aede, *per Varonis sc. fundum, ex feminini sexus sc. stirpe.* Sed queritur utrum sint, quae vere, sine ulla ellipsi cum genitivo construantur? Qua de re cf. Sanct. 2. 3. et ibi Perizon. 12. 8. Vrsin. T. 2. p. 480. Voss. de construct. c. 7. et 65. Scaliger 1. 8. p. 392. Sola vero est *tenus*, ait Vossius l. c. quae Romano more genitivum admittat, nam *super, in, ex* genitivo quidem iunctae inveniuntur, sed more Graecorum. Servius contra obiinet *tenus* solum regere ablativum; at, si genitivo addatur esse adverbium. Genitivum cum *tenus*, Scippius aliisque ablativo, fine intellecto, fulciunt, quam eandem vocem et in *hactenus, eatenus, quatenus* intellectam vult Vrsinus.

In, sub, super, et subtus cum accusativo et ablativo construuntur, cum accusativo, si significant motum ad locum; sive *locum ubi*, cum ablativo. Veteres vero regulam hanc multis in locis laeserunt, occurrit enim apud Plaut. in mentem mihi fuit, in memoriam habere, collocare in arborem et arbore et alia id genus apud eundem leguntur. In aliquo potestatem esse; esse in amicitiam ditionemque pop. Rom. habere in iudicium et similia apud Ciceronem. Sic legitur etiam habere in potestatem apud Cic. Caesar. et Sallust. ponere in numerum et numero, in amicitiam, et amicitia. Darium quinto die in Ciliciam fore nunciabatur. Curt.

Ille ubi miser, famelicens, videt me esse in tantum honorem. Terent. ubi tamen multi libri et Donati commentarii habent, esse in tanto honore. Ex his multisque aliis locis colligit Vossius c. LXV. de constr. antiquos indifferenter iunxisse in accusativo et ablativo. Quod si ita se habeat, male fecerunt veteres, nominum enim rationem confundere est in cogitando peccare.

In compositione retinent praepositiones plerumque eam, quam extra compositionem habent, significationem, et propriam, quae est loci, et inopriam, quae satis varia est. Vnde *enorme* id est, quod est tam magnum, ut omnem exceedere normam videatur; *perutile*, quod per omnes partes ntile est, hinc *e* et *per* in compositione augere dicuntur. *Iniustum*, quod ex parte tantum intra iustitiae fines est, *subnigrum*, quod nigro tantum est ad fine, hinc dicitur *in* et *sub* minuere vocabulorum significationem. Ceterum apparet, easdem voces in compositione induere fere adverbiorum naturam, si, suo munere destituae, indefinitam casum significationem non declarant; si isto munere funguntur, mutato loco non permittatur earum natura. Sic *circum* in *circumequitare* *impenia*, ad in *adire patrem* retinent et significationem et minus; non item in *oratione circumfluente*, in *circumfluentibus eloquentiae copiis* cet.

Reliquum est, ut de *praepositionibus inseparabilibus*, quas dicunt, pauca exponamus. Olim et extra compositionem in usu fuerunt haec voculae. De *am* manifestum est, siquidem Cato *am terminum* pro *circum terminum* dixit. cf. Macrob. i. Saturn. c. 14. Vnde Comminianus apud Chariolum inter eas reponit, quae casum regunt, exemplumque idem ponit *am segetes*. Item de *Se*, (pro quo veteres *sed*, ut *mārid* pro *mari*, cf. columna Duillii apud Funcium.) Festus *se* exponit *sine*. Atque ita in lege vetusta, ut ibi Scaliger monet: *Quæstorque eam pecuniam sed frude sua solvito*. De ceteris quidem non constat, sed vel ex origine claram sit, non nudas fuisse Syllabas, nihil extra compositionem significantes, quas veteres *loquulares* dicunt, sed vera potius vocabula, quamquam alia *quaestio* est; utrum præ-

praepositiones fuerint earumque habuerint vim ac potestatem, i. e. utrum aliquam loci rationem indicarint? Exponamus igitur earum significaciones.

An seu *an* et *integre ambe* ex Graeco αὐτῷ, circumnotat. Hinc ambages, ambedo, *am sancti valles* apud Maron. i. e. omni ex parte sancti, ut interpretatur Servius. hinc etiam *annus*.

Dis seu *di*, quod alii a *dis* (i. e. bis) alii a *dīa* ducunt, separationem potissimum et divisionem significat, accipiturque proprie et improprie. Hinc diffundo, distraho, dicendo, discrucio, dilando.

Re est retro, hinc *recurso*, regredior. Vnde notat iterationem in *retido*, *relabor*, *referio*, *reberbero*; repugnantiam in *repugno*, *reductor*, *resto*, *renitor*, aliasque habet significaciones, quae illam motus involvunt.

Se notat separationem ut: *secubo* i. e. seorsum cubo, *se duco*, *se voco*, *se paro*; privandi vim habet, ut *securus* qui est sine cura, a cura remotus. Reliquas separabiles, quia falso hoc referuntur, silentio praeterimus.

§. 95.

De interjectionibus.

Jam olim quaesitum est a grammaticis, utrum interjectiones vocabula sint, nec ne? Ut olim, ita etiam hodie alii aiunt, alii negant. Duo vero interjectionum genera accurate distinguenda sunt, unum earum, quae ex truncatis loquendi formulis, ex nominibus, ex verbis, particulisque constant, quibus homines affectu quodam moti utuntur. De his non quaeritur, sequuntur enim regulas, de quibus supra expositum est.

Alte-

Alterum earum, quae proprie^tie sic dicuntur, quaeque constant sonis, animi varie affecti signis atque effectibus. Iisque ipsi sunt soni, de quibus quaeritur, utram vocabula sint nec ne? Omnis vero haec quaestio in natura atque indeole vocabuli vertitur, de qua si pauca exposuerimus, quid inde colligi possit videbimus, comparabimusque nonnullorum grammaticorum hac super re sententias.

1) Quidquid cogitatur, id quopiam sit *conceptu*, ex quo una plutesve sumuntur notae, ut obiectum iisdem adfixum teneatur. Est vero animi nostri conceptum quasi continuus quidam fluxus, quo sit, ut omnes, nisi eorum cursus inhibeatur, ex animo defluere videantur. Ut igitur conceptus ad aliquid adfigerentur retinerenturque, oratio inventa est.

2) Est igitur respectus quidam verborum ad res, sed remotior, proprior vero ad animi conceptus. Hinc vocabula animi conceptus designant, non res ipsas.

3) Si igitur sonis quispiam rem ipsam designat, i. e. si nota est atque effectus rei ipsius, vocabulum dici nequit.

4) Omnes igitur soni rudes atque inconditi, qui sunt signa atque effectus animi varie affecti, non magis verba sunt, quam illud *cucu* cuculorum, aut illud *marmor* tonitru.

5) Ne soni quidem, si merae sunt aliorum sonorum imitationes, verba dici possunt, exprimunt enim res ipsas, non rerum notiones.

6. Quamquam igitur sonos, ore humano editos, quippe qui sunt effectus et signa animi varie affecti, imitaris, atque adeo scribis ex instituto; attamen nihil nisi merae sonorum naturalium imitationes sunt, non item verba.

7. Quin etiam fieri potest, ut homo affectu motus eosdem sonos non eo, quo naturaliter effutiuntur, sed eo, quo scribuntur, modo, adhibeat; attamen ne tum quidem voca-

vocabula sunt, exprimunt enim proxime affectum, non affectus notionem.

8) Fieri vero potest, ut ex sonis naturalibus verba formentur, ita facta sunt *cucus*, *murmur*, fortasse et *angor*, innumeraque alia a similitudine sonitus.

Ex his patet, signa illa naturalia animi varie affecti, in sonos erumpentis *oh*, *ah*, *hm* idque gentis alios, quas interiectiones dicunt, vocabula non esse posse. Vnde etiam sit, ut cum nulla alia orationis parte collacereant, (verba enim, quia designant animi conceptus, ita inter se cohaerent, ut conceptus ipsi,) et, quia non de consilio formatae sunt, sed temere, non inventae, sed innatae, omnis sunt analogiae immunes.

Iudem soni, cum confusi sint lacrudes, ab aliis aliter et eduntur et audiuntur, hinc primum scribuntur varie, postea vero, quasi distincte efferantur, uno eodemque modo, et sensim usu venit, ut et ita efferantur, ut scribuntur, idque adeo ab hominibus affectu commotis.

Jam ad aliorum sententias progrediamur, et primum ad illam Scaligeri de causis linguae Latinae l. 10 c. 162. „*Dolor*, ait, animi affectum significat, at *heu* dolorem non significat sed est dolentis animi nota. Itaque sola posita except auditentis animum indicio suo. Quae causa fuit plena optimi consilii, qua nostri maiores ab *adverbis* distinxerint. Est igitur interiection nota animi affecti, quae nullius orationis indiget adiumento.“ — Haec omnia recte dicta sunt, sed quae sequuntur, ostendunt, Scaligerum definitionem a se datam, non esse secutum in differendo ducem.

Sanctius l. I. c. 2. Interiectionem non esse partem orationis sic ostendit: „Quod naturale est, idem est apud omnes, sed gemitus et signa laetitiae idem sunt apud omnes; sunt igitur naturales. Si vero naturales, non sunt partes orationis. Nam eae partes secundum Aristotelem, *ex insituto*, non *natura*, debent confitare. Interiectionem Graeci adver-

adverbii adnumerant, sed falso. Nam neque voces Latinae aut Graecae sunt, etiamsi Latinis aut Graecis litteris scribantur; sed signa tristitiae aut laetitiae, qualia in avibus aut quadrupedibus, quibus tamen nec vocem nec orationem concedimus. — Itaque interiectionem a partibus orationis excludimus; tantum abest, ut eam primam et praecipuam cum Caesare Scaligero constituamus.“ — Haec Vrsinus resellere conatur, sed perperam. Sect. VII. c. II. sunt enim omnino signa haec naturalia affecti animi, quae interiectiones dicuntur, apud omnes eadem, nimurum soni inconditi, qui ex instituto significare nequeunt, homines enim neque ridere neque flere discunt. Eoque minus ex instituto, quia, quod sciam, nulla omnino verba sunt, quae ita significant, haec certe opinio diu explosa est. Sed Vrsinus partim prius illud interiectionum genus in animo habuisse videtur, partim interiectionum posterioris classis scribendarum usum. — Haec sunt, quae nobis de oratione emendata dicenda videbantur.

A 3697. 8.

ULB Halle
006 301 738

3



m 78

N.C

B.I.G.

Black

3/Color

White


Magenta

Red

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

Rudolph Gotthold Rathii

doct. philos. et correctoris gymnasii Lutherani
Halensis

de

grammaticis et rhetorics

elocutionis Romanae praeceptis

L i b r i t r e s.

Pars prior

grammatica praecepta continens.

Halae et Lipsiae

apud Joannem Godofredum Ruffium.

1798.